
Use this front cover for TP discard all other covers Index Book

PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES



TOM. XXXVII / FASC. I
15 mart. / 1948

37
1948

4 books

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1948

FASCICULI INDEX ANALYTICUS

I - Dissertationes et quaesita varia

Pretium subnotationis annuae
In Italia L. 600 ; extra Italiam 2.50 doll.

Approbantibus Superioribus Ecclesiasticis

P. VINCENZO MONACHINO - Univ. Gregor., Roma - Responsabile


Typis Pontificiae Universitatis Gregorianae, 1948

PERIODICA
DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XXXVII / FASC. I
15 mart. / 1948



ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1948

IMPRIMI POTEST

Romae, die 2 aprilis 1948

P. PAULUS DEZZA S. I.
Rector Universitatis

IMPRIMATUR

Romae, die 17 aprilis 1948

† A. TRAGLIA
Archiep. Caesarien., Vic. Ger.

ROMAE — TYP. PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

CONSTITUTIO APOSTOLICA

« Sacramentum Ordinis » diei trigesimi novembris MCMXLVII

DE SACRIS ORDINIBUS DIACONATUS, PRESBYTERATUS, EPISCOPATUS

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

1. Sacramentum Ordinis a Christo Domino institutum, quo traditur spiritualis potestas et confertur gratia ad rite obeunda munia ecclesiastica, unum esse idemque pro universa Ecclesia, catholica fides profitetur; nam sicut Dominus Noster Iesus Christus Ecclesiae non dedit nisi unum idemque sub Principe Apostolorum regimen, unam eandemque fidem, unum idemque sacrificium, ita non dedit nisi unum eundemque thesaurum signorum efficacium gratiae, id est Sacramentorum. Neque his a Christo Domino institutis Sacramentis Ecclesia saeculorum cursu alia Sacramenta substituit vel substituere potuit, cum, ut Concilium Tridentinum docet, (Conc. Trid., Sess. VII, can. 1, *De Sacram. in genere*) septem Novae Legis Sacramenta sint omnia a Iesu Christo Domino Nostro instituta et Ecclesiae nulla competat potestas in « substantiam Sacramentorum », id est in ea quae, testibus divinae revelationis fontibus, ipse Christus Dominus in signo sacramentali servanda statuit.

2. Quod autem ad Sacramentum Ordinis de quo agimus spectat, factum est ut, non obstante eius unitate et identitate, quam nemo unquam e catholicis in dubium re-

* *Act. Ap. Sed.*, 40 (1948) pag. 5-7.

vocare potuit, tamen, aetatis progressu, pro temporum et locorum diversitate, illi conficiendo ritus varii adiicerentur; quod profecto ratio fuit cur theologi inquirere coeperint, quinam ex illis in ipsius Sacramenti Ordinis collatione pertineant ad essentiam, quinam non pertineant: itemque causam praebuit dubiis et anxietatibus in casibus particularibus, ac propterea iterum iterumque ab Apostolica Sede humiliter expostulatum fuit, ut tandem quid in Sacrorum Ordinum collatione ad validitatem requiratur, suprema Ecclesiae auctoritate decerneretur.

3. Constat autem inter omnes Sacramenta Novae Legis, utpote signa sensibilia atque gratiae invisibilis efficientia, debere gratiam et significare quam efficiunt et efficere quam significant. Iamvero effectus, qui Sacra Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus Ordinatione produci ideoque significari debent, potestas scilicet et gratia, in omnibus Ecclesiae universalis diversorum temporum et regionum ritibus sufficienter significati inveniuntur manuum impositione et verbis eam determinantibus. Insuper nemo est qui ignoret Ecclesiam Romanam semper validas habuisse Ordinationes graeco ritu collatas absque instrumentorum traditione, ita ut in ipso Concilio Florentino, in quo Graecorum cum Ecclesia Romana unio peracta est, minime Graecis impositum sit, ut ritum Ordinationis mutarent vel illi instrumentorum traditionem insererent: immo voluit Ecclesia ut in ipsa Urbe Graeci secundum proprium ritum ordinarentur. Quibus colligitur, etiam secundum mentem ipsius Concilii Florentini, traditionem instrumentorum non ex ipsius Domini Nostri Iesu Christi voluntate ad substantiam et ad validitatem huius Sacramenti requiri. Quod si ex Ecclesiae voluntate et praescripto eadem aliquando fuerit necessaria ad valorem quoque, omnes norunt Ecclesiam quod statuit etiam mutare et abrogare valere.

4. Quae cum ita sint, divino lumine invocato, suprema Nostra Apostolica Auctoritate et certa scientia decla-

ramus et, quatenus opus sit, decernimus et disponimus: Sacrorum Ordinum Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus materiam eamque unam esse manuum impositionem; formam vero itemque unam esse verba applicationem huius materiae determinantia, quibus univoce significantur effectus sacramentales, — scilicet potestas Ordinis et gratia Spiritus Sancti, — quaeque ab Ecclesia qua talia accipiuntur et usurpantur. Hinc consequitur ut declaremus, sicut revera ad omnem controversiam auferendam et ad conscientiarum anxietatibus viam praecludendam, Apostolica Nostra Auctoritate declaramus, et, si unquam aliter legitime dispositum fuerit, statuimus instrumentorum traditionem saltem in posterum non esse necessariam ad Sacrorum Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus Ordinum validitatem.

5. De materia autem et forma in uniuscuiusque Ordinis collatione, eadem suprema Nostra Apostolica Auctoritate, quae sequuntur decernimus et constituimus: In Ordinatione Diaconali materia est Episcopi manus impositio quae in ritu istius Ordinationis una occurrit. Forma autem constat verbis « Praefationis » quorum haec sunt essentialia ideoque ad valorem requisita: « *Emitte in eum, quaesumus, Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exsequendi septiformis gratiae tuae munere roboretur* ». In Ordinatione Presbyterali materia est Episcopi prima manuum impositio quae silentio fit, non autem eiusdem impositionis per manus dexterae extensionem continuatio, nec ultima cui coniunguntur verba: « Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata, etc. ». Forma autem constat verbis « Praefationis » quorum haec sunt essentialia ideoque ad valorem requisita: « *Da, quaesumus, omnipotens Pater, in hunc famulum tuum Presbyterii dignitatem; innova in visceribus eius spiritum sanctitatis, ut acceptum a Te, Deus, secundi meriti munus obtineat censuramque morum exemplo suae conversationis insinuet* ». Denique in Ordinatione seu Consecratione Epis-

copali materia est manuum impositio quae ab Episcopo consecratore fit. Forma autem constat verbis « Praefationis », quorum haec sunt essentialia ideoque ad valorem requisita: « *Comple in Sacerdote tuo ministerii tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructum coelestis unguenti rore sanctifica* ». Omnia autem haec fiant sicut per Apostolicam Nostram Constitutionem « Episcopalis Consecrationis » diei trigesimi novembris anni MCMXLIV statutum est.

6. Ne vero dubitandi praebeatur occasio, praecipimus ut impositio manuum in quolibet Ordine conferendo caput Ordinandi physice tangendo fiat, quamvis etiam tactus moralis ad Sacramentum valide conficiendum sufficiat.

Tandem quae supra de materia et forma declaravimus ac statuimus, nequaquam ita intelligere fas sit ut vel paulum negligere vel praetermittere liceat ceteros « Pontificalis Romani » ritus constitutos; quin immo iubemus ut omnia data praescripta ipsius « Pontificalis Romani » sancte serventur et perficiantur.

Huius Nostrae Constitutionis dispositiones vim retroactivam non habent; quod si dubium aliquod contingat, illud huic Apostolicae Sedi erit subiiciendum.

Haec edicimus, declaramus et decernimus, quibuslibet non obstantibus, etiam speciali mentione dignis, proindeque volumus et iubemus ut eadem in « Pontificali Romano » quadam ratione evidentia fiant. Nulli igitur homini liceat hanc Constitutionem a Nobis latam infringere vel eidem temerario ausu contraire.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die trigesimo novembris, in festo S. Andreae Apostoli, anno millesimo nongentesimo quadragesimo septimo, Pontificatus Nostri nono.

PIUS PP. XII

Commentarius

1. Hac Constitutione Apostolica quoad tempus futurum dirimitur controversia, per saecula inter theologos primae notae agitata, aliis aliter sentientibus. Cardinalis van Rossum in suo libro « *De essentia Sacramenti Ordinis* » sex diversas affert theologorum de materia sacrorum Ordinum sententias.

Ex ACTIS praeparatoriis huius Constitutionis, speciali cum facultate inspectis, et obtenta speciali facultate quaedam publicandi, haec afferimus.

Initio huius saeculi quaestio de ritibus essentialibus Sacrorum Ordinum tractata fuit in Commissione Pontificia ad praeparandum Codicem Iuris Canonici. In animo fuit inserere novo Codici Iuris specialem canonem de iterandis aut supplendis ritibus, in Sacra Ordinatione omissis aut male factis. Tenor huius canonis fuit hic:

§ 1. *Si unicus sit ritus essentialis sacrae Ordinationis et hic praetermissus fuit aut modo dubio positus, integra ordinatio iteretur absolute vel sub condicione.*

§ 2. *Item, si plures ritus sint certe vel probabiliter essentiales, et omnes fuerint praetermissi vel modo dubio positi.*

§ 3. *Si vero plures ritus sint certe vel probabiliter essentiales, et unus tantum fuerit praetermissus vel modo dubio positus, solus ritus defectuosus repetendus est vel absolute vel sub condicione, si exinde ordinatio evadit certe valida; secus, integra ordinatio repetenda absolute vel sub condicione.*

2. De huius canonis re et forma membra Commissionis non fuerunt unius sententiae, sed graves inter eos ortae sunt dissensiones. Nihilominus in sequenti Schema-

te idem canon examini Commissionis denuo fuit subiectus, adnexas tamen habens nonnullas notas ex quibus elucet: aliquos Consultores proposuisse canonem alterius tenoris, scil.: « *Si in sacra ordinatione quid essentiale omissum fuerit vel modo dubio positum, integra ordinatio iteretur absolute vel sub condicione* ». Aliis vero placuisse videtur, canonem propositum ex toto supprimi. Omnes fuerunt in Voto unanimi: ut S. C. S. Officii tandem aliquando finem imponeret tantae opinionum diversitati circa partes essentiales sacrorum Ordinum, diversitati, quae tot turbaret conscientias delicatas neque honori esset Ecclesiae. Praeses Commissionis, Cardinalis Gasparri, monuit: Sacram Congr. S. Officii sine diuturnis studiis desiderio Commissionis satisfacere posse mediante hac simplici ratiocinatione: per multa saecula in Liturgia Romana ritus soli ad ordinationem adhibiti fuerunt impositio manuum cum oratione, quae nunc habetur initio Pontificalis. Hoc factum historicum a nullo negari potest. Hoc supposito, si quis dicere vult: hodie essentiales ritus ordinationis esse alios, duo admittere debet: 1) Ecclesiam ab aliquo ritu, qui fuit certo sufficiens tempore praeterito, auferre posse vim consecrativam, ut eam attribuat alteri ritui; 2) Ecclesiam hac sua potestate revera esse usam.

Alii utrumque negant; ideo tenent: hodie eosdem ritus esse essentiales qui fuerint essentiales olim. Alii utrumque admittunt. Unde habetur diversitas opinionum circa ritus essentiales. Sed omnes admittunt et debent admittere: Ecclesiam retinere et conservare semper facultatem, vi cuius possit hodie facere quod fecit ante saecula. Quapropter, si hodie Sancta Sedes decerneret (« declarat et statuit », quomodo fecit in aliis casibus): ritus essentiales esse eos ipsos qui fuerunt olim, omnes debent esse contenti et acquiescere, hac sola cum differentia, quod aliis hoc decretum *declaret* tantummodo (« declarat ») *hoc quod est;* aliis vero idem decretum *restituat* (« statuit ») *rem in statu quo fuit antea.*

3. Haec autem Praesidis ratiocinatio non omnibus Commissionis membris satisfecit. Praeses vero, ut omnium votis satisfaceret, Schedam, in qua principales de essentia Ordinis quaestiones notaverat, immediate ad Summum Pontificem, Pium X, dedit. Tenor harum quaestionum fuit hic:

1) *Quales fuerunt partes essentiales consecrationis episcopalis et aliorum ordinum primis Ecclesiae saeculis?*

2) *Quales sunt hodie de hac quaestione diversae opiniones theologorum, et quale est fundamentum theologicum propter quod facta mutatio iustificetur?*

3) *Quomodo potest solvi haec controversia, determinando partes essentiales Episcopatus, Presbyteratus et aliorum Ordinum tum maiorum tum minorum?*

4) *An et quae ceremoniae non essentiales Ordinationis, si fuerunt omissae, debeant repeti « de iure constituto et de iure constituendo »?*

Summus Pontifex Pius X has quaestiones ad Supremam S. C. S. Officii transmisit atque mandavit, ut examinarentur et solverentur.

Haec ante plus quam 40 annos facta sunt; his vero tandem diebus per Constitutionem Apostolicam « Sacramentum Ordinis » diei trigesimi novembris anni MCMXLVII obtentum est quod tunc temporis Commissio Pontificia unanimi voto petiit, ut scl. tandem finis imponeretur tantae opinionum diversitati circa partes essentiales sacrorum Ordinum, quae diversitas tot turbaret conscientias neque honori esset Ecclesiae.

* * *

4. Constitutio *inscribitur*: « De sacris Ordinibus Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus ». Qua inscriptione obiectum Constitutionis accurate determinatur et circumscribitur; agitur tantummodo de tribus Sacris Ordinibus Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus. Iuxta terminologiam, hodie usitatam, etiam « Subdiaconatus » inter ordi-

nes sacros computatur; nihilominus subdiaconatus hac Constitutione non comprehenditur; multo minus comprehenduntur ordines minores. Ideo ex hac Constitutione nihil deduci potest relate ad quaestionem controversam, utrum Subdiaconatus vel etiam Ordines minores participent in ratione « Sacramenti Ordinis », an sint solummodo aliquod « sacramentale » (cfr. can. 1144) iuris mere ecclesiastici. Neque Constitutio quidquam definit circa materiam et formam horum ordinum. Omnes hae quaestiones manent in statu, in quo hucusque fuerunt.

5. Ipsum obiectum Constitutionis sunt ritus essentiales dictorum ordinum Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus; adduntur in fine paucae normae supplementariae.

Expositio (*Const.* n. 1) initium sumit a certis veritatibus dogmaticis in memoriam revocandis, scl.: Christum Dominum esse auctorem Sacramenti Ordinis, quo dentur gratia et potestas ad sacra munia obeunda; sacramentum Ordinis esse unum pro universa Ecclesia non aliter atque reliqua sacramenta; huic sacramento, a Christo instituto, Ecclesiam in decursu saeculorum non substituisse neque substituere potuisse aliud sacramentum. Provocat Constitutio ad doctrinam Concilii Tridentini: septem esse in Ecclesia Sacramenta, a Christo instituta, neque plura neque pauciora; horum omnium auctorem esse Christum; Ecclesiae vero non competere ullam in « substantiam Sacramentorum » potestatem (Trid. sess. VII cap. 1; Denz. 844; et sess. XXI cap. 2; Denz. 931).

Additur descriptio et declaratio quaedam « substantiae sacramentorum », ad quam descriptionem bene attendatur oportet. Substantia sacramentorum intelliguntur: « ea quae, testibus divinae Revelationis fontibus, ipse Christus Dominus in signo sacramentali servanda statuit ». Nemo unquam catholicus negaverit: haec omnia revera pertinere ad « substantiam sacramentorum ». Sed quaeri potest: an substantia sacramentorum, sic intellecta, simpliciter

identificetur cum substantia sacramentorum, prout hodie intelligitur in *sensu scholae*. Hoc sensu substantia constituitur « materia et forma », intellectis sensu systematum theologicorum, et identificatur cum « *substantia ritus sacramentalis* ». Non pauci theologi sentiunt: substantiam ritus sacramentalis non solum continere « ea omnia, quae, testibus divinae revelationis fontibus, ipse Christus Dominus in signo sacramentali servanda statuit »; sed etiam viceversa: omnia quae continentur substantia ritus sacramentalis, (prout hic hodie in usu est), statuta esse ab ipso Christo Domino servanda. Alii vero theologi censent: haec duo ad invicem se non habere ut definitionem et definitum, (quae simpliciter converti possint); non constare, omnia quae hodie ad substantiam « ritus sacramentalis » pertinent et ad valorem sacramenti requiruntur ipsum Christum Dominum servanda statuisse. Secundum hos ergo theologos « substantia sacramenti » et « substantia ritus sacramentalis » non coincidunt.

6. Quae diversitas sentiendi magna ex parte fundatur in diversa doctrina de sacramentorum per Christum institutione; hi defendunt institutionem « in genere », illi institutionem « in specie », de qua doctrina plura videre est apud dogmaticos (cfr. Henricus Lennerz, S. I., De Sacramentis Novae Legis in genere, n. 85-88; 475-482; 516-532; et De Sacramento Ordinis, Romae 1947, n. 222). Constitutio Apostolica in hanc controversiam non intrat, multo minus eam dirimit, sed relinquit eam in « statu quo ante ». Nihilominus in Constitutione pluries ratio huius controversiae habetur, sed hypothetice tantum. Qui modus loquendi supponit: secundum iudicium Ecclesiae sacramentorum per Christum « institutionem in genere » hucusque non esse probatam impossibilem; nam « simpliciter impossibilium » vel omnino certo « non-exsistentium » Ecclesia in suis documentis rationem habere non solet. Sed a tali *facto* positive asserendo Constitutio de in-

dustria abstinet; non nisi hypothetice providet, quid valeat in casu hypotheseos verificatae. Iuvat in memoriam revocare: in propositione condicionata, immediate et in se asseri solummodo realitatem et veritatem nexus inter « condicionem » et « condicionatum »; de realitate autem et veritate partium, in se sumptarum (« condicionis » scl. et « condicionati ») nihil asseri. Utrum necne quod in iis dicitur, realitati et veritati rerum correspondeat, non ex propositione condicionata, sed aliunde decidi et probari debet. Exempla sint duae propositiones; propositio theoretica: « Si non est Deus, neque est homo »; propositio practica: « Si non es baptizatus, ego te baptizo ».

7. In tuto posita doctrina de origine, unitate, unicitate sacramenti Ordinis necnon de immutabilitate « substantiae huius sacramenti », Constitutio (*Const.*, n. 2) transit ad ponderandum factum historicum: ritum externum Ordinationis, non obstante unitate et immutabilitate sacramenti, in decursu temporis alias in aliis regionibus et ecclesiis mutationes subiisse, maxime via consuetudinis, adoptionis et adaptationis; (cf. H. Lennerz, S. I., De Sacramento Ordinis, Romae 1947, pars I. (historica), n. 6-135). Qua evolutione rituum externorum factum est ut theologi inquirere coeperint: quinam ex variis his ritibus requirantur ad essentiam, quinam non requirantur. Quae tamen sentiendi diversitas non ita debet intelligi, quasi theologis fuisset dubium, num ritus Pontificalis Romani, totus debite exercitus, dubium reliquerit de validitate ordinationis. De hoc nullum umquam fuit dubium. Sed si quaerebatur de singulis ritibus, singillatim sumptis, (quorum aliqui in casu particulari forte omissi vel male positi fuerint), tunc dubium et opinionum diversitas orta est. Ex qua opinionum diversitate et theologorum incertitudine dubia practica necnon anxietates conscientiae resultarunt, quae tangebant non solum ipsos Ordinantes et Ordinatos, sed etiam fideles, qui a sacerdotibus ita ordinatis

sacramenta susceperunt; (quibus in casibus semper fiebant recursus ad S. Sedem, quae providebat, ut omne dubium tolleretur). Incertitudinis et anxietatis testimonium, (aliquod e multis), habetur in supra n. 1-3 allegato unanimi voto Commissionis Pontificiae ad praeparandum Cod. Iur. Can. Ut haec incertitudo et anxietas removeatur et praecaveatur, Summus Pontifex novam Constitutionem Apostolicam edidit.

* * *

8. Antequam autem Constitutio procedit ad stabiliendum quod ad finem intentum obtinendum stabiliri debuit, aliquas animadversiones praemittit (*Const.* n. 3), quae imprimis inserviant ad praeveniendas vel solvendas quasdam obiectiones.

Prima animadversio versatur circa sacramentum Ordinis tanquam signum efficax gratiae. Ponitur generale principium, quod iisdem verbis exhibetur in « Epistola Leonis XIII « Apostolicae Curae » d. d. 13 septemb. 1896, De Ordinationibus Anglicanis, scl.: « Sacramenta Novae Legis, utpote signa sensibilia atque gratiae invisibilis efficientia, debere gratiam et significare quam efficiunt et efficere quam significant ». Quod principium dein applicatur ad sacramentum Ordinis et declaratur: effectum qui per hoc sacramentum obtineri debeat, si in ritus maxime varios, qui diversis in regionibus et diversis temporibus occurrunt, inquiritur: sufficienter, clare et univoce significari per manuum impositionem et per verba quae eam ulterius determinant. Unde deducitur: ex natura et essentia sacramenti, utpote signi gratiae dandae et potestatis conferendae, non posse plus exigi, tamquam complementum significationis exprimendae. Ad hoc argumentum pro sufficientia significationis, petitum ex natura rei, adiungitur aliud externum, petitum ex auctoritate Ecclesiae et in particulari ex Concilio Florentino. Ecclesia enim, (et in specie Conc. Florentinum) agnovit et usque in hodiernum diem agnoscit modum Ordinationis in ritu Graecorum

usitatum, in quo sacri ordines Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus conferuntur sola manuum impositione sine traditione instrumentorum.

9. Hoc alinea attente legenti patet, et insuper ex ACTIS apparet: mentem et intentionem Summi Pontificis nullatenus fuisse, dare synopticam quandam probationem notae theseos: materiam et formam in his sacramentis esse solam manuum impositionem et verba eam univoce determinantia; sed mentem esse: praecavere vel solvere difficultatem, quam quis moveat ex celeberrimo Concilii Florentini Decreto pro Armenis, in quo explicitis verbis hoc statuitur: « Sextum sacramentum est Ordinis, cuius materia est illud per cuius traditionem confertur Ordo: sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem; etc. ... Forma sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium etc., et sic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur ». (Denz. 701).

Saeculis praeterlapsis et usque in hunc diem non defuerunt theologi primae notae, qui, hoc praesertim Decreto moti et innixi, docuerint: praeter impositionem manuum etiam traditionem instrumentorum esse materiam essentialem sacramenti Ordinis; sententiam, quam duobus fere saeculis ante Conc. Florentinum verbis minime ambiguis defendit ipse S. Thomas. Forte miratur quis, in tota nova Constitutione nullibi vel ullum verbum fieri de hoc Decreto pro Armenis. Facile sane quivis intellegit, hoc non accidisse casu, sed deliberato consilio. Evidenter Summus Pontifex noluit sua auctoritate aliquid statuere de huius Decreti recta et genuina interpretatione, sed voluit controversiam relinquere in statu in quo est. Ex altera autem parte voluit respondere ad duas rationes, quae ex hoc Decreto petuntur pro necessitate traditionis instrumentorum: alteram, quae dicit, sine traditione instrumentorum ritum Ordinationis non univoce et sufficienter

significare potestatem et gratiam conferendam; ideo Concilium Florentinum voluisse hunc defectum significationis complere. Sed haec ratio non valet. Nam, si considerantur verba ritus Ordinationis una simul cum impositione manuum, dempta tamen traditione instrumentorum cum verbis concomitantibus, legenti statim apparet: gratiam et potestatem omnino sufficienter et univoce significari. Hinc sine ratione ex necessitate interna concluditur: Concilium Florentinum voluisse, praescribendo traditionem instrumentorum, complere insufficientem ritus significationem. Sed et alteram rationem Constitutio Apostolica ostendit non esse genuinam, quae petitur ex Decreto et auctoritate Concilii, ut tali, non provocando ad naturam rei. Si enim haec fuisset mens Concilii, sua auctoritate praescribendi ad valorem Ordinationis traditionem instrumentorum, Concilium non potuisset sic admittere Graecos ad unionem cum Ecclesia catholica, quos scivit in sacra Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus Ordinatione non peragere traditionem instrumentorum. Unde concludit Constitutio Apostolica: neque argumento interno neque argumento externo, etiam secundum mentem ipsius Concilii Florentini, traditionem instrumentorum ex ipsius Christi voluntate requiri ad substantiam et validitatem sacramenti Ordinis. Perspicuum est: verba « substantiam sacramenti » hic intelligenda esse eodem sensu, quo initio Constitutionis (*Const.* n. 1) exposita sunt.

Solummodo si tota haec paragraphus sub hoc respectu consideratur, scl. tamquam praecautio et solutio difficultatis exspectandae ex Decreto pro Armenis, intelligitur, cur haec paragraphus in Constitutionem Apostolicam inserta fuerit.

10. Quod vero Decreti pro Armenis sensum et auctoritatem spectat, res est et manet controversa. Neque status quaestionis, uti iam monitum est, hac nova Constitutione mutatur. Potest ergo unusquisque in hoc Decreto in-

terpretando abundare sensu suo; nihilominus non omnes interpretationes quae proferuntur admitti possunt. Sic e. gr. dici non potest: Decretum pro Armenis omnino non esse decretum Conciliare, aut si fuerit tale, numquam obtinuisse vigorem iuridicum talis decreti, cum non fuerit debito modo promulgatum. Decretum enim, post missam sollemnem celebratam, in sollemni Concilii sessione, habita Florentiae die 22 Novembris 1439 in Ecclesia cathedrali, per Petrum Donato, Episcopum Patavii, lingua latina fuit promulgatum. Quo facto, statim monachus Armeniacus, nomine Nerses, publice legit synopsim eiusdem decreti lingua Armenica confectam; deinde sine mora Basilius ex Ord. S. Francisci, huius Synopsis traductionem latinam adiunxit. Haec Decreti publicatio facta est coram Summo Pontifice, Eugenio IV, praesentibus octo Cardinalibus, 3 Archiepiscopis, 35 Episcopis, 25 Abbatibus. — Neque admitti potest assertio: Decretum pro Armenis latum fuisse pro *universa* Ecclesia atque statuisse, ut ubique traditio instrumentorum adhiberetur tamquam materia. Qua in hypothesi Ecclesia amplius non potuisset admittere Ritum ordinationis apud Graecos usitatum.

11. Restat ultima huius « alinea » propositio explicanda, scil.: « quodsi ex Ecclesiae voluntate et praescripto eadem aliquando fuerit necessaria ad valorem quoque, omnes norunt: Ecclesiam quod statuit etiam mutare et abrogare valere ». Iam forma grammaticalis (« coniunctivus potentialis ») « *fuerit* », insinuat: non asseri tale quid revera accidisse aut potuisse accidere, sed hypothetice declarari, quid valeret, si Ecclesia tale quid posset facere et fecisset. Asseritur solummodo: Ecclesiam, quod sua auctoritate circa ritum sacramentalem statuerit — (etiam ita, ut ad valorem fuerit necessarium) — posse ididem iterum mutare vel abrogare. Fuerunt et sunt theologi, qui censeant (aliis tamen id affracte negantibus): Ecclesiam a Christo Domino revera intra certos limites talem potesta-

tem accepisse. Ipsis enim videtur, solummodo hoc modo nonnulla facta historica posse explicari, ex. gr.; cur ad valorem confirmationis requiratur chrismatio, quam Christum Dominum non instituisse neque apostolos adhibuisse ipsis certum est. Non desunt inter theologos qui censeant: hac potestate Ecclesiam usam esse in Concilio Florentino, in Decreto pro Armenis statuendo: traditionem instrumentorum esse materiam sacramenti Ordinis; putant, solummodo, hac suppositione facta, allegato Decreto sine violentia posse satisfieri. De modo vero quo Ecclesia asserta hac accepta potestate usa sit, alii iterum aliter ac aliter sentiunt. Aliqui putant: Ecclesiam posse certos ritus apponere tamquam « condiciones valoris », a quibus — (etiam materia et forma sacramenti rite posita) — valorem huius vel illius sacramenti facere possit dependere. Alii, ut eadem facta historica explicent, provocant ad sacramentorum per Christum institutionem « in genere » et non « in specie » (cfr. supra n. 6). Qua in suppositione, Ecclesia, quod Christus in ritu sacramentali minus determinatum reliquit, ulterius et plene determinat ita, ut quod statuit ad valorum requiratur.

Ne ex hac theologorum controversia, quam (ut variis locis Constitutionis clare apparet) Summus Pontifex nec intrare nec dirimere intendit, in vita et praxi oriantur dubia et anxietates, pro utraque suppositione, (negante scil. et affirmante huiusmodi Ecclesiae potestatem) norma clara et certa iudicandi atque agendi statuitur.

* * *

12. Parte praeparatoria sic absoluta, Constitutio Apostolica (*Const.* n. 4) transit ad partem dispositivam, in qua primo collective pro omnibus tribus ordinibus, Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus statuitur, quid ad valorem requiratur, quid non requiratur; deinde id idem fit relate ad singulos hos ordines, singillatim sumptos.

Provocat Summus Pontifex ad supremam suam Auc-

toritatem Apostolicam, qua ad removenda et dirimenda dubia uti intendat. Intelligitur sane, cur Summus Pontifex ita loquatur et agat. Agitur enim de re summi momenti, de valore scilicet Sacramenti Ordinis, a cuius valida administratione tot sacramentorum valor pendet; nam plura sacramenta ut valide conficiat, minister indiget potestate Ordinis, in valida Ordinatione accepta. In re vero tanti momenti, cui importantissimae adnexae sunt sequelae, bonum Ecclesiae exigit, ut Summus Pontifex suprema sua Auctoritate incertitudinem et dubia auferat.

Bene ponderari debent verba, quibus in Constitutione Apostolica actus auctoritativus Summi Pontificis designatur, scil.: « declaramus et, quatenus opus sit, decernimus et disponimus ». « Declarando » Summus Pontifex solummodo denuntiat et significat *id quod iam est,* antecedenter et independenter ab eius «declaratione». Verba autem « decernimus et disponimus » denotant actum quo Summus Pontifex *efficit quod non est,* sed quo aliquid *accipit Esse* (respective: *amittit Esse*). Uterque actus, (scl. « declarare » et « disponere ») est actus positivus, sed alius et alius indolis atque naturae.

Actus dispositivus non ponitur nisi condicionate: dicitur enim « quatenus opus sit », idest ad hoc ut effectus quem Summus Pontifex producere intendit, obtineatur. Si ergo hic effectus iam adest, (ideoque ad eum obtinendum « opus non est » actione Pontificis), a Pontifice nihil « disponitur ».

* * *

13. Id quod « declaratur », (respective insuper « disponitur »), ex parte est positivum, ex parte negativum. Pars positiva respicit necessitatem et sufficientiam solius manuum impositionis, tamquam materiae, ad validam Ordinationem diaconalem, presbyteralem, episcopalem, necnon necessitatem et sufficientiam verborum, tamquam formae, quibus univoce significatur effectus sacramenti, (potestas Ordinis et correspondens gratia Spiritus Sancti). Applica-

tur ergo hoc loco principium generale, quod initio numeri antecedentis de omnibus sacramentis Novae Legis enuntiatum est, scl. haec sacramenta esse signa sensibilia invisibilis gratiae, quae eorum usu effici debet.

Utrum « impositio manuum » sit immediate institutionis Christi et pertineat ad « substantiam sacramenti », prout initio Constitutionis describitur, an sit institutionis Apostolicae, quatenus Apostoli, in exsecutione mandati Christi, ad conferendam potestatem Ordinis elegerint impositionem manuum, medium aptum et apud tunc temporis Iudaeos in hunc finem in usu [1], ex ipsa Constitutione decidi et probari nequit, sed aliunde est probandum. Constitutione stabilitur solummodo *factum*: impositionem manuum esse materiam necessariam et sufficientem.

Relate ad *formam* vero et eius verba, (significantia respectivi Ordinis potestatem et correspondentem Spiritus Sancti gratiam) additur ulterior aliqua determinatio. Pluries enim in ritu Ordinationis occurrunt verba quae gratiam et potestatem Ordinis sufficienter significant ideoque rationem « formae » habere *possint;* statuitur Constitutione Apostolica: ex his verbis ea sola habere rationem et indolem formae sacramentalis, quae ab Ecclesia tamquam forma « accipiuntur et usurpantur »; (idest: verba quibus Ecclesia in Ordinatione peragenda utitur cum intentione adhibendi ea tamquam formam sacramentalem). In unoquoque ex tribus allegatis Ordinibus occurrunt saltem bis huiusmodi verba, quibus respectivus effectus sacramentalis univoce significetur. Unde est, quod relate ad tres hos Ordines disputaverint theologi, quibusnam verbis forma sacramentalis revera constituatur, et in responso dando in varias sententias abierint. Constitutione Apostolica pro tempore futuro dirimitur controversia: ex verbis, per se aptis, solummodo ea constituunt « formam », quae « ab Ec-

[1] Cfr. The Iewish Encyclopedia, Vol. IX, pag. 428-430, articulus « Ordination »; Num. XXVII, 18, 22-23; 20 iunctim Deut. XXXIV, 9; Num. XI, 16-17, 24-25.

clesia qua talia (scil. qua formam constituentia) accipiuntur et usurpantur ». Quaenam sint in particulari haec verba, accurate et explicite significatur in iis, quae postea de singulis Ordinibus singillatim dicuntur. Ecclesia, tali modo sua auctoritate declarando et definiendo « verba formae », non tangit « substantiam sacramentorum », in quam, uti initio Constitutionis Apostolicae dictum est, Ecclesiae nulla competit potestas. Christus Dominus enim in omnibus sacramentis *sensum* formae accurate determinavit, non autem eodem modo quoad omnia sacramenta *verba,* quibus hic sensus exprimatur. Unde est, quod Ecclesia circa sensum nihil valeat, quod vero in quibusdam sacramentis expressio sensus ab Ecclesia hoc vel illo modo stabiliri possit, immo aliquis modus expressionis ab Ecclesia statui debeat. Quod Ecclesia secundum suam voluntatem facere potest, dummodo sensus, ab ipso Christo determinatus, fideliter servetur et determinetur; de qua recta expressione iudicium esse debet, et est, penes Ecclesiam seu Romanum Pontificem.

Quoad Ordines Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus, diversitati opinionum theologorum nova hac Constitutione Apostolica, saltem relate ad tempus futurum, finis impositus est, cum ex verbis aptis ea sola rationem formae habeant « quae ab Ecclesia qua talia accipiuntur et usurpantur ».

14. Parti positivae statim adnectitur pars negativa, scl. declaratio et dispositio, quidnam non requiratur (*Const.* n. 4). Haec pars negativa est simplex et necessaria conclusio ex antecedenti parte positiva; ideo incipit verbis : « hinc consequitur ». Et revera, si unica materia, quae ad valorem requiratur, est impositio manuum, nulla alia materia ad valorem necessaria esse potest. Pars negativa in primis respicit « traditionem instrumentorum », quam, ut supra notatum est, multi theologi primae notae ante et post Concilium Florentinum dixerunt materiam

sacramenti, ad valorem saltem etiam necessariam. Immo in ipso Pontificali Romano, in instructione introductoria ad caput « De Ordinibus conferendis », usque in praesentem diem legitur: « Moneat (scilicet Pontifex cum Ordines confert) Ordinandos, quod instrumenta, *in quorum traditione character imprimitur,* tangant ». Si traditione instrumentorum character sacramentalis imprimitur, haec traditio sine omni dubio est aliquis ritus essentialis, ad valorem sacramenti requisitus. Ob hanc praecise rationem S. Officium, cum hucusque litem theologorum dirimere noluerit, ex altera vero parte valorem sacramenti periculo nullitatis noluerit exponere, in casibus particularibus, in quibus traditio instrumentorum fuit omissa aut male facta, decernere solebat: « *reordinetur ad cautelam ex integro sub condicione* ». Iuvat hac de re videre longum elenchum decisionum S. R. Congregationum circa defectus in conferendis Ordinibus commissos, quem exhibet Fr. Xaver HECHT, P. S. M. in folio periodico « *Periodica de re morali etc.,* in suo articulo, « De reparandis defectibus in collatione ordinum occurrentibus ». (tom. 23 (1934) p. 73-111).

Traditio instrumentorum intelligitur in ordine Diaconatus traditio libri Evangeliorum, in ordine Presbyteratus traditio calicis cum vino et patenae cum hostia, in ordine Episcopatus impositio libri Evangeliorum aperti super cervicem Electi, cui impositioni a paucis adnumeratur eiusdem libri clausi traditio in fine Consecrationis.

15. Notum est, circa hanc traditionem instrumentorum in casibus particularibus saepe dubia et anxietates conscientiae accidisse. His dubiis et anxietatibus, saltem quoad tempus futurum, aditus est praeclusus; nam in posterum nulla instrumentorum traditio ad essentiam et valorem sacrorum Ordinum Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus requiritur.

Quod tempus praeteritum spectat, Constitutio Aposto-

lica quaestionem de necessitate traditionis instrumentorum relinquit apertam. Traditionem instrumentorum non esse necessariam voluntate ipsius Christi Domini explicite dicitur; eam numquam ex voluntate Ecclesiae ad valorem fuisse requisitam, nec affirmatur nec negatur. Nam hoc quoque loco intrat quaestio, quid Ecclesia valeat circa valorem sacramenti Ordinis, utrum necne ipsa aliqua statuere queat, quae ad validitatem requirantur ultra ea, quae ipse Christus Dominus servanda statuit; (cfr. supra n. 11). Constitutio Apostolica loquitur condicionate, scilicet: si umquam in decursu saeculorum ex legitima Ecclesiae decisione traditio instrumentorum fuerit necessaria, talis Ecclesiae dispositio praesenti Constitutione abrogatur. An revera acciderit, vel etiam an omnino potuerit accidere, apertum manet. « Legitime » accidere solebant modificationes ritus Ordinationis, historia teste, in decursu saeculorum non tantopere per formalia et explicita Decreta, quam via consuetudinis, quam competens auctoritas ecclesiastica via facti admisit et approbavit: (cfr. H. Lennerz, De Sacramento Ordinis; Romae 1947; pars I, conspectus historicus). Hinc, quoad tempus praeteritum, qui tenuit, traditionem instrumentorum fuisse de valore, circa tempus praeteritum eamdem sententiam etiam in posterum defendere potest; Constitutione Apostolica hac in sententia defendenda non impeditur. Utrum haec sententia aliis rationibus refutari queat, non est huius loci examinare. Idem dicendum est de sententia contraria, secundum quam neque tempore praeterito traditio instrumentorum fuit de valore sacramenti; quoad tempus praeterlapsum etiam in posterum potest quis hanc thesim tenere et defendere.

* * *

16. Parti generali de tribus Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus Ordinibus adiungitur pars specialis de singulis Ordinibus, singillatim sumptis (*Const.* n. 5), et quaeritur, quinam ex ritibus occurrentibus ad essentiam et valo-

rem singulorum ordinum sint necessarii. Initio occurrit iterum duplex terminus « decernimus et constituimus », ut significetur: in quantum ad intentum effectum obtinendum, non suffecerit mera « declaratio » eius quod est, sed requiratur « usus dispositivus » supremae potestatis apostolicae, quo efficiatur quod non est: Summum Pontificem talem usum peragere.

* * *

17. In Ordinatione diaconali (*Const.* n. 5) « *materia* » est Episcopi manus impositio, et quidem una, quae in toto ordinationis ritu occurrit. Saltem abhinc traditio libri Evangeliorum ad valorem non requiritur, quod iam antea a multis auctoribus defendebatur qui censebant: hanc caerimoniam solummodo ad integritatem ritus requiri, et supplendam esse si fuerit omissa.

De *forma* Ordinationis diaconalis hucusque fuit sat magna inter theologos sententiarum diversitas. Alii putarunt: formam, eamque necessariam et sufficientem, esse verba Praefationi consecratoriae inserta et impositionem manus concomitantia « ACCIPE SPIRITUM SANCTUM, AD ROBUR, ET AD RESISTENDUM DIABOLO, ET TENTATIONIBUS EIUS. IN NOMINE DOMINI ». Contra hanc sententiam urgebant alii: 1) verba haec in Occidente tandem post plura saecula ritui Ordinationis sunt inserta; in Oriente usque in praesentem diem desiderantur; 2) verba, in se considerata, non sunt univoce determinata, ideoque insufficientia ad significandam typicam Diaconatus potestatem et correspondentem gratiam Spiritus Sancti; 3) verba sunt superflua; nam quod significandum est, sufficienter et melius, licet modo deprecativo, significatur verbis impositionem manuum antecedentibus vel eam consequentibus, scil. verbis « SUPER HUNC QUOQUE FAMULUM TUUM, QUAESUMUS DOMINE, PLACATUS INTENDE, QUEM TUIS SACRIS ALTARIBUS SERVITURUM IN OFFICIUM DIACONATUS SUPPLICITER DEDICAMUS » aut verbis « EMITTE IN EUM, QUAESUMUS, DOMINE,

SPIRITUM SANCTUM, QUO IN OPUS MINISTERII TUI FIDELITER EXSEQUENDI SEPTIFORMIS GRATIAE TUAE MUNERE ROBORETUR ». Quapropter alii theologi censuerunt: his verbis, modo allegatis, non privative, sed vel cumulative vel disiunctive sumptis formam sacramenti constitui. Secundum hos auctores verba « ACCIPE SPIRITUM SANCTUM AD ROBUR etc. » habent rationem caerimoniae mere concomitantis, non autem participant in ipsa forma sacramenti. Possit quis formam sacramenti ponere etiam in ultima oratione, scl.: « DOMINE SANCTE, PATER FIDEI, SPEI ET GRATIAE, etc. », quae nunc in fine totius ritus invenitur, antea autem praefationem consecratoriam antecebat; de facto autem haec oratio vix ab ullo dicta est forma sacramenti.

Constitutione Apostolica toti huic opinionum diversitati finis imponitur: abhinc forma unice necessaria et sufficiens exhibetur verbis Praefationis, quae impositionem manus Episcopi immediate subsequuntur, scl.: « EMITTE IN EUM, QUAESUMUS, DOMINE, SPIRITUM SANCTUM, QUO IN OPUS MINISTERII TUI FIDELITER EXSEQUENDI SEPTIFORMIS GRATIAE TUAE MUNERE ROBORETUR ».Dubitari nequit, verbum « ministerii » in hac propositione adhiberi sensu praegnante et technico, correspondente verbo graeco διακονία (« diaconii »), a quo totus hic ordo habet nomen « diaconatus ». Constitutio Apostolica, eligendo haec verba Praefationis, redit ad antiquam aliquam Liturgiae legem, qua, quae sunt principalia et essentialia, ponebantur in « Praefatione ».

18. Maxima sentiendi et loquendi diversitas, quod ritus essentiales Ordinationis spectat, vigebat hucusque circa materiam et formam Ordinis Presbyteratus.

Alii dixerunt: materiam unicam esse manuum impositionem, circa quam tamen — quia plures occurrunt in ritu impositiones — theologi in varias partes abierunt; cum

alii urgebant: requiri et sufficere primam impositionem quae silentio peragitur; alii censebant: ad hanc primam accedere debere eiusdem continuationem per manus dexterae super Ordinandos extensionem. Plura habentur Responsa S. Officii quibus statuitur: ordinationem ad cautelam sub condicione esse repetendam ob omissam hanc secundam manuum impositionem, seu rectius: hanc primae impositionis continuationem per dexterae manus extensionem; (cfr. supra allegatum articulum Fr. Xav. Hecht, in folio periodico « Periodica de re morali etc. », l. c. pag. 102). Pauci tandem theologi volebant: necessariam esse etiam tertiam impositionem, quae in fine Missae Ordinationis fit adiunctis verbis « ACCIPE SPIRITUM SANCTUM, QUORUM REMISERIS etc. ». Probare intendebant suam sententiam dicendo: ad ordinem Presbyteratus aeque necessariam esse potestatem in corpus Christi verum atque potestatem in Corpus Christi mysticum; negarunt rationem sententiae contrariae habere vim evincentem. Dixerunt: gratis ab aliter sentientibus poni hanc argumentationem: potestas sacerdotii est indivisibilis; ideoque *si* datur, necessario datur tota; prima vero impositione manuum certo confertur potestas sacrificandi ideoque simul cum eo potestas absolvendi. Hanc argumentationem non admiserunt, statuentes: potestatem sacerdotii non esse in indivisibili; ideoque eam dari posse, et de facto dari, per partes, initio ordinationis potestatem sacrificandi, in fine potestatem absolvendi.

19. Praeter impositionem manuum (saltem primam) requiri etiam tamquam materiam, eamque essentialem, traditionem instrumentorum (patenae scilicet cum hostia et calicis cum vino), non pauci primae notae theologi, ut supra iam dictum est, tenuerunt, licet pauci fuerint qui dixerint: hanc traditionem esse materiam sufficientem et unice necessariam. Ex longo tempore constans praxis

S. Officii in solvendis casibus particularibus, in quibus traditio instrumentorum fuit omissa vel male facta, fuit haec: Praecipere ad cautelam reordinationem ex integro sub condicione. Exempla vide in allegato elencho Fr. Xav. Hecht (l. c. pag. 104 seqq.). Haec praxis S. Officii exhibet solutionem practicam, non autem decisionem doctrinalem; S. Officium, praescindendo a quaestione de principio, elegit viam qua certo omne dubium removebatur et damnum fidelium praecavebatur.

20. De forma Presbyteratus (idest de verbis applicationem materiae determinantibus) similis fuit diversitas opinionum, non tamen quoad ultimam manuum impositionem, cuius sensus evidenter determinabatur verbis concomitantibus: « ACCIPE SPIRITUM SANCTUM, QUORUM REMISERIS etc. ». Quoad verba vero, quibus prima et secunda manuum impositio plenam significationem accipiant, et quae ideo formam sacramentalem constituant, theologi minime fuerunt unius sententiae. Alii putarunt ad formam iam sufficere invitationem « OREMUS, FRATRES CARISSIMI, etc. ». Alii hanc « invitationem » noluerunt admittere tanquam formam, aut saltem illam iungendam dixerunt cum subsequenti oratione: « EXAUDI NOS, etc. », qua oratione proprie formam sacramentalem constitui defenderunt. Aliis tandem, licet secundam sententiam noluerint reiicere, magis placuit: formam haberi in Praefatione consecratoria, quae manuum impositionem subsequitur, et in specie in his eius verbis: « DA QUAESUMUS, OMNIPOTENS PATER, IN HUNC FAMULUM TUUM PRESBYTERII DIGNITATEM, etc. ». Ducti sunt in praeeligendis his verbis 1) supra allegata consideratione liturgica: essentialia scilicet elementa ex antiqua consuetudine semper posita esse in « Praefatione » (« Praefatione consecratoria »); 2) quia haec verba sunt magis determinata et univoca, quam verba orationis: « EXAUDI

NOS, etc. ». Putarunt enim: verbis quae in hac oratione occurrunt « GRATIAE SACERDOTALIS INFUNDE VIRTUTEM » et « BENEDICTIONEM SANCTI SPIRITUS » non univoce significari, de cuius gratiae sacerdotalis infusione et de quanam benedictione Spiritus Sancti sermo sit, de *plena* aut de *partiali*, quarum prima habeatur in Consecratione Episcopali, altera in ordinatione presbyterali.

21. Tota haec iudicandi et agendi incertitudo, quoad sacrum ordinem Presbyteratus, qui tanti momenti est pro bono totius Ecclesiae et salute animarum, nova Constitutione Apostolica (*Const.* n. 5) e medio sublata est.

Quod ad *materiam* attinet, deciditur positive: materiam eamque unicam esse Episcopi primam manuum impositionem, quae silentio fit; deciditur negative: non esse, saltem abhinc, huius primae impositionis continuationem per manus dexterae extensionem super ordinandos; item non esse tertiam illam et ultimam manuum impositionem, cui coniunguntur verba: « ACCIPE SPIRITUM SANCTUM, QUORUM REMISERIS, etc. ». Quidquid ergo est de sententia divisibilitatis aut indivisibilitatis potestatis sacerdotalis, nunc constat: Ecclesiam intendere conferre *totam* potestatem per primam hanc manuum impositionem, iunctam cum correspondente forma, ita ut, materia applicata et forma pronuntiata Presbyter statim habeat (uti loqui solent) potestatem tum de Corpore Christi vero, tum de Corpore Christi mystico, idque ante traditionem instrumentorum et ante ultimam manuum impositionem.

Forma etiam hoc loco — (correspondenter ad antiquam legem liturgicam) — assignantur verba: « Praefationis », non quidem omnia et singula, sed tamquam essentialia solummodo haec: « DA, QUAESUMUS, OMNIPOTENS PATER, IN HUNC FAMULUM TUUM PRESBYTERII DIGNITATEM, INNOVA IN VISCERIBUS EIUS SPIRITUM SANCTITATIS, UT ACCEPTUM A TE, DEUS,

SECUNDI MERITI MUNUS OBTINEAT, CENSURAMQUE MORUM EXEMPLO SUAE CONVERSATIONIS INSINUET ». His verbis univoce effertur potestas Ordinis presbyteratus et correspondens gratia Spiritus Sancti; nominantur enim conferenda: « dignitas sacerdotalis », « secundi meriti munus » (in oppositione ad primi meriti munus, quod est Episcopatus), correspondens Spiritus Sancti communicatio per communicationem «Spiritus sanctitatis».

Moveri potest difficultas: haec verba, tamquam formam sacramenti, nimium distare a materia, idest a prima manuum impositione; difficultas, ad quam evitandam non pauci theologi hucusque necessariam duxerint primae manuum impositionis continuationem per manus dexterae extensionem, ut per eam unio moralis obtineatur cum forma, quam habuerunt orationem « EXAUDI NOS ». Negari non potest: unionem inter materiam et formam requiri ad validitatem sacramenti, cum constituere debeant aliquod « unum » et actum unum. Sed haec « unio » admittit quandam latitudinem; generatim sufficit unio moralis, et haec iterum varia esse potest in variis sacramentis. In ordinatione presbyterali unio obtinetur per continuationem unius eiusdemque Ritus Ordinationis, qui constituit unum morale totum; idque eo magis, quod tota Praefatio consecratoria ad hoc composita est, ut clare appareat, in quemnam finem impositio manuum fuerit facta. Est etiam notatu dignum: in Constitutione Apostolica numquam de forma sacramentali adhiberi usitatam phrasim: formam constitui « verbis applicationem materiae *concomitantibus* »; deliberate usurpatur semper phrasis: « verbis applicationem materiae *determinantibus* » (cfr. Const. Ap. n. 3-4).

22. Circa materiam Ordinationis seu consecrationis episcopalis, diversitas opinionum non fuit tanta, quanta circa materiam Ordinationis presbyteralis; nihilominus

non defuerunt qui aliter ac sententia communis docet, censuerint.

« Impositio libri Evangeliorum », de qua iam loquitur S. Chrysostomus, et quae a saeculo X per multas regiones probari potest sparsa, a nonnullis habebatur ritus non solum accidentalis, sed substantialis et ad valorem Consecrationis necessarius. Sed hanc opinionem exhibuisse umquam sententiam theologorum communem, non facile probaretur. Vi Constitutionis Apostolicae haec impositio, saltem abhinc, non est materia, ne partialis quidem, ad Consecrationem episcopalem necessaria; sed materia unica erit manuum impositio, quae una occurrit facienda per Episcopum Consecratorem, (vel simul per Episcopos Conconsecratores, quoties adhibentur).

23. De forma essentiali Ordinationis episcopalis haud pauci theologi, quibus adnumerandus est etiam S. Alphonsus de Liguori, tenuerunt et tenent sententiam: eam constitui verbis, quae ab Episcopo Consecratore (simul cum Episcopis Conconsecratoribus) proferuntur, dum manuum impositionem peragunt, scil. « ACCIPE SPIRITUM SANCTUM ». Opponunt autem alii: haec verba posteriore tandem tempore, saeculo scl. XIII, ritui consecrationis fuisse inserta; ideo eam non posse exhibere formam essentialem. Urgent insuper: haec verba esse nimis indeterminata, quia ex iis non appareat, ad quemnam effectum potestatis et gratiae verba proferantur. Quam rationem urgebat ipse Leo XIII in sua Epistola « Apostolicae Curae » d. d. 13 Septembris 1896 (cf. Denz. 1963 sqq.), de ordinibus anglicanis. Ad quas rationes, qui defendunt primam sententiam supra allegatam, respondent: cum *verba* formae (in oppositione ad *sensum* formae, verbis exhibendum) non ab ipso Christo Domino sint instituta, Ecclesiam potuisse et posse quaelibet verba apta adhibere; verba vero « ACCIPE SPIRITUM SANCTUM » esse verba apta, quia eorum sensus, (etsi non ex solo sensu grammaticali, tamen ex con-

textu ipsius Ritus) univoce determinetur ad significandam *plenitudinem* Spiritus Sancti et ad dandam *plenitudinem* sacerdotii Christi in munere et ordine episcopali. Nihilominus sat multi, ob dubia quae contra formam « ACCIPE SPIRITUM SANCTUM » moveri possunt, eorum loco (vel cum iis iunctam) posuerunt tamquam formam Orationem: « PROPITIARE, DOMINE, etc. », quae Oratio immediate subiungitur impositioni manuum, et in qua oratione haec habentur verba: « INCLINATO SUPER HUNC FAMULUM TUUM CORNU GRATIAE SACERDOTALIS » et « BENEDICTIONIS TUAE IN EUM EFFUNDE VIRTUTEM ». Quibus verbis hi theologi censent: sufficienter exprimi *totum* cornu gratiae sacerdotalis et *omnem* benedictionis virtutem. Sed aliis neque haec oratio sufficere videbatur ad specificam ordinationis episcopalis potestatem et gratiam significandam; urgebant: orationem « PROPITIARE, DOMINE, etc », *prout sonat,* adhiberi posse et verificari etiam in ordine presbyterali. Ideoque statuerunt sententiam: verba, quae plene sufficiant potestati et gratiae significandae, haberi tandem in Praefatione consecratoria, cuius essentialia sint ea, in quibus « summa seu totalitas » ministerii sacerdotalis, necnon « ornamentum *totius* glorificationis » exprimatur.

24. Constitutio Apostolica (*Const.* n. 5) quin ferat iudicium de his sententiis et de argumentis quibus innituntur, statuit: tamquam formam, saltem in posterum, consideranda et adhibenda esse verba Praefationis, et quidem tamquam essentialia sola haec: « COMPLE IN SACERDOTE TUO MINISTERII TUI SUMMAM ET ORNAMENTIS TOTIUS GLORIFICATIONIS INSTRUCTUM, CAELESTIS UNGUENTI RORE SANCTIFICA ».

De requisita unione horum verborum cum antecedente impositione manuum valent eadem quae supra n. 21. de ordinatione sacerdotali dicta sunt, scil.: uniuntur

per continuitatem totius Ritus et per ipsa Praefationis verba, quibus explicatur, ad quid omnia, quae eousque fiebant, sint peracta.

25. Cum in Consecratione Episcopali non unus tantum Episcopus Consecrator occurrat, sed plures Episcopi tanquam Conconsecratores omnino adhibendi sint, — (licet unus Episcopus ad eam valide peragendam sufficiat) — explicite in nova Constitutione Apostolica stabilitur: ea quae in antecedenti Constitutione Apostolica « Episcopalis Consecrationis », d. d. 30 Novembris 1944, statuta sint, in pleno vigore manere. Unde patet: sacramentalem materiam et formam, scl. impositionem manuum et omnia verba formae sacramentalis, in nova Constitutione Apostolica designatae, etiam ab unoquoque Episcopo conconsecrante totam et totaliter debere adhiberi, et quidem cum intentione, ita agendo, conferendi Electo consecrationem episcopalem eodem modo atque Episcopus Consecrator. Reliqua vero, quae ab Episcopis Conconsecratoribus iuxta ritum consecrationis fieri debent, ad liceitatem quidem requiruntur, non autem ad valorem actus consecratorii ab iis ponendi. Hae duae ergo Constitutiones Apostolicae, scl. « Episcopalis Consecrationis », d. d. 30 Novembris 1944, et « Sacramentum Ordinis », d. d. 30 Novembris 1947, se invicem complent.

* * *

26. Statutis normis de materia et forma trium Ordinum Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus, statuuntur quaedam normae complementariae (*Const.* n. 6), quarum prima est de *tactu* in manuum impositione peragendo, scl. quisnam modus tangendi observari debeat.

Fuit quaestio sat spinosa, et toties in S. Officio agitata, utrum impositio manuum fieri debeat tactu physico, an sufficiat tactus moralis, idest extensio manuum super

caput Ordinandi, (dummodo in individuo determinatum sit, quibus haec extensio destinetur). In quantum ex « Responsis publicatis » erui potest, constans praxis S. Officii — (quod, praescindendo a disputata quaestione doctrinali, in decidendis casibus particularibus, semper viam tutam elegit) — fuit decernendi: *ad cautelam reordinetur sub condicione ex integro cum tactu physico.* Exempla vide: Fontes IV, n. 917, d. d. 19 augusti 1851, etiam d. d. 20 ianuarii 1875; d. d. 26 ianuar. 1898; Fontes IV, n. 1241, d. d. 4 iulii 1900; n. 1259 d. d. 7 maii 1902; etiam supra allegatum articulum, a Fr. Xav. Hecht conscriptum.

At etiam tempore praeterito non defuerunt, qui censuerint: tactum physicum non esse necessarium ad valorem. Hoc loco iterum ex Actis, cum speciali facultate inspectis, et obtenta speciali licentia publicandi quae hic sequuntur, haec sint dicta:

Iam Pius VI anno 1776, occasione alicuius casus particularis, manifestavit mentem: in ordinatione tactum physicum ad impositionem manuum et ad valorem ordinationis non esse necessarium. Casus particularis fuit hic: in consecratione alicuius Episcopi Consecrator in impositione manuum super caput consecrandi non physice tetigit eius caput, sed manus suas elatas atque extensas habuit super caput consecrandi, proxime ad capillorum superficiem, et ad manus duorum aliorum Episcoporum assistentium, qui ambo physice et corporaliter tetigerunt caput consecrandi. Exorto hinc aliquorum paucorum theologorum dubio ratione contactus physici ex parte Consecratoris deficientis: Consecrator in Missa privata solus, in quantum opus, reiteravit illam impositionem manuum, physice tangendo caput consecrati, interea pronuntians formam: « ACCIPE SPIRITUM SANCTUM ».

Ad solutionem huius casus nominatum fuit quoddam « Consilium theologicum-canonicum », 15 complectens theologos. Ex his in fine sessionum die 19 novembr. 1776

undecim dederunt votum: in casu, de quo agitur, esse acquiescendum; quattuor autem putarunt: consecrationem esse ex integro ad cautelam sub condicione reiterandam; item sub condicione denuo ordinandos esse, qui a Consecrato fuerunt ad ordines maiores promoti.

Casus dein a Cardinalibus coram ipso Summo Pontifice fuit discussus. Iuxta authenticum et officiale Protocollum Summus Pontifex votum undecim Theologorum adprobavit, idest: esse acquiescendum.

Ex notitiis privatis Cardinalis Caprano (quae etiam in Actis habentur) magis in particulari apparet, quomodo tunc temporis res coram Pontifice processerit. Die 28 Novembris 1776 ad causam coram Pio VI discutiendam praesentes fuerunt septem Cardinales, scl.: Castelli, Colonna, Boschi (Poenitentiarius), de Celada, Caprano, Boxardos, Porriani. Eminentissimi Patres non fuerunt unius sententiae; maior pars censuit: consecrationem esse sub condicione reiterandam; unus voluit, ut decisio differretur et prius examinaretur, num ad valorem sufficeret ut ab uno ex Episcopis assistentibus tactus physicus suppleretur. qui a Consecratore fuit omissus; duo simpliciter iudicarunt, consecrationem fuisse validam. Summus Pontifex (iuxta notitias allegatas Cardinalis Caprano) decidit pro validitate; ipsi visum est: contactum physicum non fuisse necessarium, sed suffecisse tactum moralem; adoptavit votum undecim Theologorum. Voluit tamen adhuc praescindere a decidenda quaestione (de principio), neque dedit de ea positivum Responsum. Ita secundum relationem Cardinalis Caprano.

Ex dictis apparet: Pium VI acceptasse quidem sententiam undecim Theologorum qui censuerunt: in casu esse acquiescendum, (evidenter quia consecrationem habuerunt validam); eum inclinasse etiam in opinionem: contactum physicum non esse necessarium; sed ex altera parte: Pontificem tunc temporis adhuc noluisse de hoc

puncto dare decisionem auctoritativam. Ob quamnam ergo causam Pius VI adoptaverit votum undecim, utrum propter suam de tactu physico vel morali opinionem, an propter rationem ab uno ex Eminentissimis Patribus allatam (scl.: per Episcopos assistentes tactum physicum fuisse suppletum quem Consecrator omiserat), vel propter reiterationem impositionis manuum sequenti die a solo Consecratore factam: neque ex officiali Protocollo neque ex Notitiis privatis Cardinalis Caprano decidi potest.

Notatu dignum est: S. Officium, prout apparet ex eius supra allegatis Responsis, non obstante decisione Pii VI, controversiam de necessitate tactus physici non habuisse solutam, ideoque, ob securitatem et ad arcendas funestas sequelas ordinationis forte invalidae, continuasse consuetam suam praxim, statuendo in casu dubii insolubilis: *ad cautelam reordinetur ex integro sub condicione cum tactu physico.*

27. Nunc Constitutione Apostolica (*Const.* n. 6), auctoritative et definitive, etiam haec incertitudo est sublata, et hic anxietatum fons est occlusus. *Praecipitur* quidem (non solummodo « consulitur »), ut in quolibet ordine conferendo impositio manuum fiat « caput ordinandi *physice tangendo* ». Ratio huius praecepti assignatur: « ne dubitandi praebeatur occasio ». Tactus physicus requiritur ergo ad liceitatem.

Quod ad valorem autem attinet, verbis minime dubiis in Constitutione declaratur: ad sacramentum valide conficiendum sufficere tactum moralem, idest extensionem manuum super caput ordinandi sine contactu corporali. (NB! Tactus physicus adest etiam, si manus Episcopi sunt chirothecis obtectae, vel ordinandus caput habet capillis alienis, idest capillamento, coopertum).

28. Quaeri potest, num, quae in Constitutione Apostolica de contactu physico et morali auctoritative statuta

et decisa sunt, valeant etiam de ritibus Orientalibus, ita ut in iis quoque, quod valorem spectat, sufficiat tactus moralis: quantumvis quod attinet ad liceitatem, requiratur contactus physicus.

Phrasis graeca quae in ritu ordinationis diaconalis, presbyteralis, episcopalis semper eadem occurrit, scl.: ἀρχιερεὺς... ἔχων τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐπικειμένην (= Episcopus... tenens suam manum impositam), significat quidem primario tactum physicum, sed adhibetur etiam ad significandum tactum moralem. Constitutio Apostolica immediate et explicite agit de ritu Ordinationis secundum *Pontificale Romanum*, ergo in *Ritu latino;* itaque ad Ritus Orientales applicari non potest, nisi ex natura rei aut aliunde talis applicatio probatur. Ex natura rei autem et ex iis quae initio Constitutionis dicuntur, deduci debet: tactum physicum non pertinere ad « substantiam sacramenti », idest ad « ea quae, testibus divinae revelationis fontibus, Christus Dominus Ipse in signo sacramentali servanda statuit ». Secus enim neque pro Ritu latino Summus Pontifex statuere posset, tactum physicum non esse de valore sacramenti. Et cum Sacramentum Ordinis idem sit in Ritibus Orientalibus atque in Ritu latino, concludi debet: neque in Orientalibus Ritibus tactum physicum ad valorem requiri *ex voluntate Ipsius Christi.* Si ergo in Ritu Orientali nihilominus ad valorem requirebatur, hoc solummodo esse potuit et potest ex voluntate Ecclesiae, manifestata saltem per approbationem consuetudinis, via facti datam. Talem eventualem Ecclesiae voluntatem etiam in Ritu Orientali abhinc non iam valere, sed habendam esse retractatam et abrogatam, ex Constitutione Apostolica erui non potest. Hinc quoad Ritus Orientales haec quaestio manet in eodem statu, in quo ante Constitutionem fuit.

29. Secunda norma complementaria (*Const.* n. 6) respicit relationem novae Constitutionis ad ritum ordinationum in « Pontificali Romano » descriptum, prout hucus-

que observatus est. Ponitur regula « *Nihil innovetur* ». Omnes omnino ritus, etsi nullo modo ad essentiam pertinent, tales, quales sunt, non solum possunt, sed ex praecepto debent observari, nihil est negligendum vel praetermittendum. « Iubemus », ita Summus Pontifex, « ut omnia data praescripta ipsius Pontificalis Romani sancte serventur et perficiantur ».

Quaeri potest, quid in posterum valeat quoad ritus non-essentiales sive *supplendos* sive *iterandos*. Quoad sacramentum baptismatis habetur explicita norma in canone 759 et 760: « Caeremoniae quae in baptismi collatione praetermissae quavis ratione fuerint, quam primum in ecclesia suppleantur », et « Cum baptismus sub condicione iteratur, caeremoniae, si... in priori baptismo adhibitae sunt, repeti in altero aut omitti possunt ». In nova Constitutione Apostolica nihil huiusmodi habetur, neque de supplendis neque de iterandis caeremoniis non-essentialibus. Recurrendum ergo erit in singulis casibus et exspectandum, quid S. Sedes responsura sit.

30. Tertia dispositio complementaria est de vi retroactiva Constitutionis. In Constitutione (*Const.* n. 6) legitur: « Huius nostrae Constitutionis dispositiones vim retroactivam non habent ». Verba diligenter perpendi debent. Constitutio continet *expositiones doctrinales* de veritatibus fidei, et *ordinationes dispositivas* de ritibus exsequendis. Declarationes doctrinales ex natura rei « vim retroactivam » habent; nam « enuntiant » veritatem, quae est et quae semper fuit, non autem « creant » veritates. Ordinationes dispositivae autem de exsequendis ritibus — [significantur terminis « decernimus, disponimus, statuimus »] — statuere possunt, quod non fuit, aut tollere, quod est; hinc *possunt* habere vim retroactivam, eamque habent, *si* retrotractionis capaces sunt et *si* legislator iis talem vim tribuere valet et vult. Summus Pontifex in Consti-

tutione explicite declarat: actus *dispositivos*, qui in Constitutione Apostolica occurrunt, non habere vim retroactivam. Ex dispositione Summi Pontificis est ex. gr. quod saltem in posterum « traditio instrumentorum » non requiratur ad valorem; quod non nisi verba in Constitutione designata, habent rationem formae sacramentalis; quod ad valorem non requiratur tactus physicus in impositione manuum. Quia ergo « *dispositiones* » Constitutionis vim retroactivam non habent, ex Constitutione Apostolica probari non potest: in praeterito traditionem instrumentorum non fuisse ad valorem requisitam; formam sacramentalem exhibitam fuisse solis verbis in Constitutione designatis; contactum physicum non fuisse de valore. Si hae caeremoniae aliunde probari possunt non necessariae, probentur; Constitutio Apostolica, ut tale quid probetur, invocari non potest.

Unde est, quod dubia de valore ordinum, qui ante Constitutionem collati sunt, non possint solvi ex novis huius Constitutionis dispositionibus; sed recurrendum sit ad normas antea vigentes. De cetero quoad DUBIA statuitur explicita: « Si dubium aliquod contingat, illud huic Apostolicae Sedi erit subiiciendum ». Quod valet de dubiis tum temporis praeteriti, tum temporis futuri.

31. Haec de « vi retroactiva » novae Constitutionis. Restat quaestio, a quonam die nova Constitutio incipiat vim suam exserere, utrum statim momento promulgationis, an tandem post elapsum determinatum tempus. Constitutio de hac re nihil habet. Recurrendum est ergo ad alias normas et principia. Declarationes doctrinales statim valere facile intellegitur; nam — ut modo dictum est — non faciunt veritatem novam, sed proclamant iam exsistentem. Declarationes autem dispositivae, quae habent rationem « legis », reguntur norma, in canone 9 CIC de legibus ab Apostolica Sede latis statuta:

Can. 9. « Leges ab Apostolica Sede latae promulgantur in ACTORUM APOSTOLICAE SEDIS COMMENTARIO OFFICIALI, nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus; et vim suam exserunt tantum expletis tribus mensibus a die qui ACTORUM numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta ».

Longior vel brevior vacatio quoad novae Constitutionis declarationes dispositivas neque ex natura rei exigitur, neque in ipsa Constitutione tale quid « specialiter et expresse » statuitur. Hinc quoad diem quo Constitutionis declarationes dispositivae valere incipiunt, applicari debet principium generale canone 9 statutum. Unde deducitur: valorem alicuius ordinationis diiudicari non posse secundum novam Constitutionem, nisi haec ordinatio facta fuerit « expletis tribus mensibus a die qui ACTORUM numero appositus est », Ante elapsum hoc tempus iudicium de valore alicuius ordinationis ferri debet secundum normas ante novam Constitutionem vigentes, sive hae normae cum normis Constitutionis fuerint quoad rem identicae, sive ab iis discrepent. Dies numero ACTORUM appositus est dies 28 Ianuarii 1948. Facta trium mensium computatione (secundum computandi regulam, statutam canone 34 § 3 n. 1 et 2, iunctim can. 32 § 1), nova Constitutio dici debet vim exserere a die 28 Aprilis 1948, et quidem a media nocte inter diem 27 et 28 Aprilis.

32. Finitur Constitutio Apostolica (*Const.* n. 6) voluntate Summi Pontificis explicite repetita, qua Constitutioni Apostolicae plenam vim effectivam tribuit: « Haec edicimus, declaramus et decernimus, quibuslibet non obstantibus, etiam speciali mentione dignis ». Insuper datur aliqua norma practica, quoad Pontificale Romanum normis essentialibus huius Constitutionis adaptandum: « Volumus et iubemus, ut eadem in Pontificali Romano quadam ratione evidentia fiant » e. gr. adhibitis typis specialibus.

Omnibus Christifidelibus incumbere obligationem et officium humilem plenamque oboedientiam praestandi quoad omnia quae in Constitutione Apostolica statuuntur et declarantur; neque ulli licitum esse Constitutionem « infringere vel iidem temerario ausu contraire »: explicatione et probatione non indiget.

* * *

33. Sequenti brevi conspectu significatur, quomodo ritus essentialis, per Constitutionem Apostolicam designatus, se habeat ad integrum Ritum in Pontificali Romano exhibitum.

PONTIFICALE ROMANUM (Ritus integer)	CONSTITUTIO APOSTOLICA (Ritus essentialis)
Ordo Diaconatus	
Impositio manus. Accipe Spiritum Sanctum ad robur, etc. Emitte in eum, quaesumus, etc. Impositio vestimentorum sacrorum. Accipe stolam candidam, etc. Induat te Dominus indumento, etc. Traditio libri Evangeliorum. Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, etc.	IMPOSITIO MANUS. « EMITTE IN EUM QUAESUMUS DOMINE SPIRITUM SANCTUM QUO IN OPUS MINISTERII TUI FIDELITER EXSEQUENDI SEPTIFORMIS GRATIAE TUAE MUNERE ROBORETUR ».
Ordo Presbyteratus	
Prima manuum impositio. Extensio manus dexterae seu secunda impositio manuum. Oremus, fratres charissimi, etc. Exaudi nos quaesumus, etc. Praefatio consecratoria. Impositio vestimentorum sacrorum. Accipe iugum Domini; etc. Accipe vestem sacerdotalem, etc.	IMPOSITIO MANUUM. « DA QUAESUMUS OMNIPOTENS PATER IN HUNC FAMULUM TUUM PRESBITERII DIGNITATEM, INNOVA IN VISCERIBUS EIUS SPIRITUM SANCTITATIS; UT ACCEPTUM A TE, DEUS, SECUNDI MERITI MUNUS OBTINEAT, CENSURAMQUE MORUM EXEMPLO SUAE CONVERSATIONIS INSINUET »

Unctio manuum. Consecrare et sanctificare, etc. Traditio instrumentorum. Accipe potestatem offerendi, etc. Tertia manuum impositio. Accipe Spiritum Sanctum, quorum, etc. Explicatio casulae. Stolae innocentiae, etc.	

Ordo Episcopatus

Impositio libri Evangeliorum aperti. Impositio manuum. Accipe Spiritum Sanctum. Propitiare, Domine, etc. Praefatio consecratoria. Unctio capitis et manuum. Praefatio consecratoria (continuatur). Ungatur et consecretur caput, etc. Ungantur manus istae, etc. Traditio insignium Pontificalium. Traditio libri clausi Evangeliorum. Accipe Evangelium, et vade, etc.	IMPOSITIO MANUUM. « COMPLE IN SACERDOTE TUO MINISTERII TUI SUMMAM, ET ORNAMENTIS TOTIUS GLORIFICATIONIS INSTRUCTUM, COELESTIS UNGUENTI RORE SANCTIFICA ».

Hic conspectus manifestat, quomodo integra sacrarum ordinationum Liturgia abundet caeremoniis, profunda altaque significatione plenis, quibus — conformiter ad hominis naturam quae non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli — fideles ad rei sanctae et altae, quae in sacris ordinationibus agitur, intellectum atque contemplationem excitentur et promoveantur. Ex altera parte hic conspectus inservit, ut bene innotescant et accurate discernantur ea — « pauca » dicere debemus — quae ad validam Sacrorum Ordinum administrationem requiruntur et sufficiunt. Quae intellexisse et prae oculis habere non parum conferet ad certitudinem iudicii et ad conscientiarum tranquillitatem.

FRANCISCUS HÜRTH S. I.

APPENDIX

In ACTIS exposita invenitur quaedam de manuum impositione sententia quae ad profundius studium et ad pleniorem cognitionem impositionis manuum tamquam materiae sacrarum ordinationum inservire potest, et quam ideo hic per modum APPENDICIS adiungere bene visum est.

1. Constitutione Apostolica « Sacramenti Ordinis » ritus essentiales ordinationis, qui unice ad valorem eius requiruntur, auctoritate Summi Pontificis designantur et definiuntur: impositio manuum, tamquam materia, et determinata verba Praefationis consecratoriae, (ea scl. quibus respectivi ordinis potestas et gratia univoce significatur) tamquam forma.

Impositionem manuum inde a temporibus Apostolorum, adhibitam esse ad constituendos diaconos, presbyteros, episcopos, et ad conferendam iis potestatem et gratiam, testantur ipsae Sacrae Literae necnon plura testimonia antiquitatis christianae. Ad hunc ergo ritum applicari potest et debet quod passim ad discernendas veritates doctrinae catholicae applicatur et tamquam criterium veritatis designatur: « *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus* ».

2. Nihilominus ulterius quaeri potest, quid in impositione manuum et in forma eam determinante sit ultimum ,et in se ac proprie intentum elementum, cui tamquam signo sensibili, gratia adnectatur: impositio manuum, secundum suum esse physicum et materiale (sicuti aqua, oleum, chrisma, in sacramento Baptismatis, Extremae Unctionis, Confirmationis) —, aut aliud, cui hoc

« esse physicum » sit solummodo vehiculum accidentale, et quod proprie et in se a Christo Domino fuit electum et determinatum, tamquam signum efficax gratiae.

Hanc quaestionem Constitutio Apostolica nec ponit nec intrat nec solvit. Nihilominus Constitutio Apostolica, quae tantopere effert et urget « impositionem manuum », praebet ansam et rationem, cur sensus et pondus huius quaestionis aliquo modo ulterius dilucidetur et examinetur. Quo ex examine apparebit: differentiam inter varias saeculis praeterlapsis a theologis disputatas sententias de essentialibus ordinationum ritibus, quod ad *rem* attinet, ultimatim non fuisse tantam quanta primo aspectu videtur; immo eam forte fuisse potius controversiam de elementis accidentalibus, quibus elementum proprie constitutivum « sacramenti » Ordinis non tangatur.

Cum vero allegata in ACTIS sententia hucusque non fuerit sufficienter discussa et examinata, ea hic non potest proponi per modum « thesis », sed per modum « qaestionis » tantum.

* * *

3. Praemitti debet brevis inquisitio in naturam sacramenti, in quantum est sensibile signum effectus interni invisibilis. Signum sacramentale componi dicitur: rebus tanquam materia, et verbis tamquam forma; quod theologi, systema hylemorphismi sequentes, intellegunt analogice ad compositionem corporum ex materia et forma, tanquam ex duabus substantiis incompletis atque partibus physicis substantialibus corporis.

Compositio autem signi sacramentalis etiam alio modo concipi et analysari potest, nempe ita ut elementum materiale dicatur omne id, quod et quatenus ratione sui est sensibile et corporale (ex. gr.: materialis res, sonus verbi ore pronunciati, nutus, littera, actio, factum); formale autem elementum omne et solum id, quod dicit vim significativam. Signum sensibile ita consideratum, componitur: re sensibili (latissime sumpta) tamquam mate-

ria, et huius rei significatione, tamquam forma. Secundum hanc considerationem *verba* quoad suum elementum materiale pertinent ad materiam; et *res*, quoad suam vim significativam spectat ad formam.

Cum significatio gratiae et spiritualis potestatis nulli obiecto materiali ratione sui insit, et cum tali obiecto adiungi non possit, nisi voluntate Dei, ex Dei mente significatio, si quae adest, disci debet. Et cum « signum sacramentale » non sit unum physicum, sed unum artificiale, et cum tota vis significativa ab extra ad elementum materiale signi accedat, in aliquibus signis sacramentalibus accidere potest, ut signum in hac sua parte materiali mutationem substantialem subeat, et nihilominus (secundum commune et sanum iudicium hominum) in sua parte formali, idest in significatione qua tali maneat omnino idem. Ita ex. gr. si duarum voluntatum consensus per signum externum manifestari et significari debet, « significatio » consensus dati censetur substantialiter eadem, sive consensus significetur per verbum ore prolatum, sive per verbum scriptum, sive per nutum capitis, sive per alium quendam actum, sive per « factum concludens » quod dicunt; quamvis omnes hae unius eiusdemque consensus manifestationes secundum suum esse materiale sint substantialiter diversae. Quod multo magis valet, si non proprie « externa forma » qua consensus manifestatur, habet rationem « signi », sed *ipse consensus*, ad extra manifestatus.

Neque tamen haec assertio de omni omnino signo poni potest. Nam auctor signi significationem adnectere potuit non nisi uni determinatae rei significanti, eamque denegare cuilibet alteri rei vel actui. Ita, ex. gr. Christus Dominus non nisi aquae seu ablutioni aqua factae significationem gratiae baptismalis adnexuit. In matrimonii sacramento signum sensibile gratiae invisibilis Christus Dominus elegit ipsum contractum matrimonialem exterius manifestatum, (idest: iuris matrimonialis per consensum partium, exte-

rius manifestatum, collationem). Hoc vero signum sacramentale (secundum commune et sanum hominum iudicium) manet substantialiter idem, etsi externus modus, quo consensus matrimonialis manifestatur, est, quoad suum specificum Esse physicum, substantialiter alius et alius, (ex gr. verba ore prolata, nutus capitis, cohabitatio animo matrimoniali assumpta, copula carnalis ex affectu matrimoniali peracta). Ratio cur externa consensus matrimonialis manifestatio, in quantum habet rationem signi, sit omnino eadem, non obstante tanta differentia in mediis physicis manifestationis, in eo est, quod consensus matrimonialis, ratione sui, est omnino indifferens ad physicum hunc vel illum externum modum, quo praestetur; ei essentiale est solummodo, quod externa manifestatio revera exhibeat consensum matrimonialem. Ideo, abstractione facta a statuto et praecepto Ecclesiae, quo determinatus modus sub effectu nullitatis praescribitur, fideles, quod ad valorem attinet, modo hanc, modo aliam formam consensus manifestandi eligere valerent. Et revera, Ecclesia quoad matrimonia baptizatorum, non-catholicorum, quemlibet modum consensus matrimonialis dandi et ad extra manifestandi tamquam sufficientem admittit ad valorem matrimonii et sacramenti. Saepissime in terra missionum accidit, ut baptizati non-catholici inter se matrimonium ineant secundum ritum stirpis et gentis; neque tot sunt « sacramenta matrimonii », quot sunt ritus externi quoad Esse physicum substantialiter diversi; nam in istis ritibus non attenditur id quo inter se differunt, sed id in quo conveniunt. Secundum defensores sententiae de qua agitur: in omnibus istis ineundi matrimonium modis, quibus consensus matrimonialis exprimitur, distingui debet *qualitas generica*, vi cuius unusquisque modus est *aliqua* manifestatio consensus matrimonialis, et *qualitas* specifica, vi cuius est *haec determinata* manifestatio. Significatio sacramentalis, aiunt, in his modis habetur vi qualitatis genericae, non autem vi qualitatis specificae; quia

signum sacramentale a Christo institutum est consensus matrimonialis *quocumque tandem modo* manifestatus. Varii autem modi, *secundum suas qualitates specificas et distinctivas,* non inserviunt ad significandum praecise id, quod *omnibus modis est commune,* et quod iis inest ratione qualitatis genericae. Verum quidem esse dicunt: non esse neque posse esse aliquem modum contrahendi, qui habeat tantummodo qualitatem genericam manifestandi consensum; sed unumquemque modum esse semper modum etiam specifice determinatum; negant autem: singulos modos secundum has suas proprietates distinctivas intrare in signum sacramentale. Secundum hanc ergo theoriam omnis ritus seu modus, *complete spectatus,* (idest uti continens et qualitatem genericam et qualitates specificas) est « signum sacramentale »; si vero quaeritur, quid in hoc ritu, complete sumpto, exhibeat signum sacramentale a Christo statutum, respondent: hoc esse unice et sufficienter qualitatem genericam, quia ea ad extra manifestat consensum matrimonialem.

4. Haec si applicantur ad sacramentum Ordinis, quaeritur: an fortasse Christus Dominus, prout in sacramento matrimonii signum sacramentale elegit ipsum consensum matrimonialem ad extra manifestatum, non autem determinatam quandam celebrationis formam externam: ita in sacramento Ordinis signum sacramentale forte elegerit *ipsam collationem potestatis ordinis,* non autem determinatum quendam externum collationis modum. Qua suppositione facta, non iam dici debet: per administrationem sacramenti ordinis conferri potestatem ordinis; sed viceversa: per exterius manifestatam collationem potestatis ordinis administrari sacramentum ordinis; (non aliter ac in sacramento matrimonii non per administrationem sacramenti confertur mutua in corpus potestas; sed viceversa: per exterius manifestatam efficacem huius potestatis collationem administratur sacramentum).

Christus Dominus (ut adhibeamus quorundam theologorum modum loquendi) secundum eorum sententiam instituit « Ordinem » in sua *quidditate et totalitate,* quae totam potestatem ordinis contineat; suae Ecclesiae reliquit determinare « ordinis » *graduitatem,* ita ut Ecclesia communicare potuerit vel totam potestatem vel aliquam solummodo eius partem.

De *modo quo* Ecclesia hanc collationem peragat, iuxta defensores huius opinionis ipse Christus nihil statuit. Neque tamen Ecclesia, statuendo vel mutando determinatum quendam modum externum collationis potestatis, instituit vel mutat substantiam signi sacramentalis; nam in quolibet modo externo, ab Ecclesia adhibito, continetur semper idem, ab ipso Christo Domino electum signum sacramentale, scl.: *externa collatio potestatis ordinis.* Et huius signi substantia et significatio prorsus eadem est, sive (externa) collatio potestatis peragitur « traditione instrumentorum », sive « manuum impositione », sive utroque ritu simul. Ideo, si Christus Dominus potestatem sacerdotalem Apostolis contulit solis his verbis: « *Hoc facite in meam commemorationem* »; si Apostoli eandem potestatem contulerunt manuum impositione, (eligendo signum quod tunc temporis apud Iudaeos ad conferendam potestatem fuit usitatum; cf. supra pg. 21, n. 13, Notam 1), si Ecclesia — (dato, non concesso) — potestatem ordinis communicavit traditione instrumentorum: non aliud et aliud, sed semper unum idemque « signum sacramentale » (in quantum ab ipso Christo Domino est determinatum) fuit adhibitum.

Inde vero inferri non potest: externum « modum » non influere in valorem ordinationis. Nam, cum a voluntate Ecclesiae pendeat, num omnino potestatem conferre velit; num eam dare velit per hunc actum externum vel per alium; num eam, quam dare intendit, dare velit uno actu totam, vel per partes pluribus actibus distinctis: externae formae adhibitae maximum influxum in valorem

collationis potestatis exercere possunt. Formis enim, ab Ecclesia statutis, non servatis, potestas ordinis non confertur; non, quia hae formae secundum suas specificas et distinctivas qualitates sint partes substantiales « signi sacramentalis », sed quia solae hae determinatae formae ex voluntate et intentione Ecclesiae habent vim collativam potestatis ordinis, et quia sine collatione potestatis non habetur signum sacramentale.

* * *

5. Rationes quibus hanc theoriam fulcire conantur, sunt imprimis hae:

1) *Modus agendi, quem ipse Christus Dominus adhibuit.* Apostolos suos Christus fecit sacerdotes, non eo quod eis tradidit corpus et sanguinem suum, sed dicendo: « *Hoc facite in meam commemorationem* » His verbis, modo externo et visibili, dedit eis potestatem ordinis sacerdotalis, cui collationi adnexam supponere debemus impressionem characteris et communicationem gratiae.

2) Sic clare et facile inter se componi possunt: ex una parte magna diversitas, quae in ritu ordinationis variis temporibus et in variis ecclesiis particularibus in decursu temporum observata est; et ex altera parte firma omnium fidelium persuasio: Christum Dominum non instituisse nisi unum sacramentum ordinis, illudque immutabile pro omnibus temporibus. Nam id, quod — non obstante tanta rituum diversitate — semper et ubique idem fuit, et idem esse omnibus semper fuit persuasum: est *ad extra manifestata collatio potestatis ordinis* (sive Diaconatus, sive Presbyteratus sive Episcopatus). Ergo supponendum est: Christum Dominum non nisi hoc elementum, (unum et identicum apud omnes ecclesias omnium temporum, omnium regionum) elegisse signum sacramentale, cui impressionem characteris et communicationem gratiae adnexuit.

3) Sic facile explicatur factum, quod saeculis praeterlapsis theologi primae notae, inter quos primum locum

tenet ipse S. Thomas, clare ritum substantialem sacramenti ordinis assignaverint traditionem instrumentorum, urgentes: per eam significari et perfici *collationem potestatis*. Admitti enim nequit: omnes hos theologos latuisse notissimos sacrae Scripturae textus necnon primorum saeculorum testimonia de manuum impositione, tamquam ritu principali ordinationis. Sufficit allegare S. Albertum Magnum, qui (in oppositione ad sententiam suo tempore longe communiorem) de impositione manuum scribit: « Et hic erat ritus consecrationis in primitiva Ecclesia ». — Accedit, quod indubitanter hi theologi tenuerint sententiam: Ecclesiam nihil posse circa materiam et formam ritus sacramentalis. Difficulter intellegitur, quomodo hi theologi ex una parte tenere potuerint: traditionem instrumentorum esse de substantia sacramenti ordinis; et ex altera parte censuerint: hanc materiam ordinationis esse a Christo institutam; sciverunt enim: in primitiva Ecclesia hunc ritum non fuisse in usu. Sed horum theologorum modus procedendi facile intellegitur, ubi primum supponitur: his theologis elementum principale in traditione instrumentorum, simili modo atque in manuum impositione (primorum saeculorum), non fuisse physicam illam actionem, sumptam secundum eius specificas et distinctivas qualitates physicas; sed externam collationem potestatis ordinis, quae per hanc actionem physicam visibili modo perficiebatur. Haec autem collatio semper eadem fuit primis temporibus et temporibus, quibus hi theologi vivebant.

Iuvat legere quae S. Thomas de materia Sacramenti Ordinis et de indole typica et distinctiva huius Sacramenti habet in IV Sent., dist. 24 q. 1 art. 1 quaestiunc. 5 et ad 3: « Materia in sacramentis exterius adhibita significat virtutem, in sacramentis agentem, extrinseco omnino advenire. Unde cum effectus proprius huius sacramenti, scilicet character, non percipiatur ex aliqua operatione ipsius, qui ad sacramentum accedit, sicut erat in poenitentia, sed omnino ab extrinseco adveniat, competit ei: materiam habere;

tamen diversimode ab aliis sacramentis quae materiam habent: quia hoc quod confertur in aliis sacramentis, derivatur tantum a Deo, non a ministro qui sacramentum dispensat. Sed *illud quod in hoc sacramento traditur scilicet spiritualis potestas, derivatur etiam ab eo qui sacramentum dat, sicuti potestas imperfecta a perfecta.* Et ideo efficacia *aliorum* sacramentorum principaliter consistit in materia, quae virtutem divinam et significat, et continet et sanctificatione per ministrum adhibita. Sed *efficacia huius sacramenti principaliter residet penes eum qui sacramentum dispensat.* Materia autem adhibetur magis ad *demonstrandam* potestatem quae traditur particulariter ab habente eam complete, quam ad potestatem *causandam* ». — Et ad tertium: Angelicus respondet: Potestatem ordinis accipi a ministro, non a materia; ideo in sacramento ordinis *porrectionem* instrumentorum (in qua secundum S. Thomam consistit materia sacramenti ordinis) esse magis necessariam, quam *acceptationem* instrumentorum per tactum eius qui suscipit sacramentum. Admittit tamen tactum instrumentorum esse necessarium sed ex alio capite, nempe ex verbis *formae*: « Accipe hoc vel illud ». Quoad *alia* sacramenta (Baptismum, Confirmationem, Extremam Unctionem) concedit principium: in quolibet sacramento, habente materiam, requiri contactum, et quidem ob indolem et functionem quam habeat materia in iis sacramentis, prout in corpore articuli est expositum. — Ex hac S. Thomae sententiae expositione apparet: ipsum non tenere neque defendere theoriam, de qua hic agitur; sed iis quae in textu citato docet de *collatione potestatis ordinis* necnon de huius collationis causa proxima et proprie dicta, suppeditant argumenta, ad obiectum huius doctrinae accurate circumscribendum et aliquo modo firmandum.

4) Hac theoria supposita, obvia aliqua dari potest explicatio Decreti pro Armenis, in specie ratione habita discussionum, quae in sessionibus praeparatoriis huius Decreti a theologis catholicis tum cum Graecis tum cum

Armenis habitae sunt. Agentes cum Graecis theologi urgebant: in consecratione Eucharistiae transubstantiationem perfici solis verbis Christi, nulla alia oratione superaddita; et hoc probarunt: 1) ex eo, quod Ecclesia nihil valeat circa materiam et formam sacramentorum; 2) ex eo, quod sacramenta debeant esse eadem in tota Ecclesia, cum « unitas Ecclesiae necessario fundetur in unitate fidei et *in unitate sacramentorum, in iis quae sunt de substantia sacramenti* ». Ita Ioannes de Torquemada, O. P. in suo sermone ad Graecos coram Summo Pontifice, Eugenio IV; quam expositionem ipse Papa statim suis verbis confirmavit (Mansi 31-B, 1673-1674). Inter theologos eiusdem Commissionis praecipuos fuit etiam Ioannes de Montenero, qui maximam partem habuit in Decreto pro Armenis conficiendo. Tunc omnes hi theologi nullam experti sunt difficultatem asserendi in Decreto pro Armenis: materiam sacramenti ordinis esse traditionem instrumentorum, quam sciebant a Graecis non observari. Neque tamen in hac diversitate ritus sacramentalis viderunt ullam unitatis ecclesiae negationem vel periculum, quam unitatem in discussione cum Graecis dixerant: esse in unitate fidei et in unitate sacramentorum in iis quae sunt de substantia sacramenti. Si his theologis persuasum fuit: materiam et formam sacramenti ordinis ultimatim esse *in externa collatione potestatis ordinis*, non autem in determinato aliquo externo modo quo haec collatio peragitur: revera neglegere potuerunt et notissimos textus sacrae Scripturae de manuum impositione et universalem praxim antiquitatis christianae; neglegere etiam potuerunt differentiam inter ritum Graecorum et ritum Armenorum atque Latinorum. Nam, illa suppositione facta, discrepantiae quae in his variis ritibus occurrunt, secundum ipsos tangebant solummodo elementum accidentale, non autem elementum substantiale signi sacramentalis. Hinc quieto animo relinquere potuerunt cuilibet tempori, loco, nationi, singulis ecclesiis particularibus suum quoad externam collationem

agendi modum (sive formali decreto sive sola via facti et consuetudinis introductum) dummodo legitima auctoritas ecclesiastica hunc modum approbaverit et suum fecerit, (isque modus fuerit aptus ad potestatis Ordinis collationem clare et determinate significandam). His Theologis ideo quoad sacramentum Ordinis valet principium, affine alteri, quod de sacramento matrimonii hodie ponitur, scl.: nulla potest esse ad extra manifestata valida collatio potestatis Ordinis, a Christo institutae, quae non sit ipso facto sacramentum. Sicut relate ad matrimonium: nullus esse potest inter baptizatos validus contractus matrimonialis, ad extra manifestatus, qui non sit ipso facto sacramentum.

CONCLUSIO

6. Circa hanc nonnullorum recentium de materia et forma sacramenti Ordinis theoriam, concludendo haec dicenda videntur:

1) Nova Constitutio Apostolica nullo modo in hanc theoriam intrat, neque eius ullam rationem habet; eam ex toto silentio praeterit.

2) Haec theoria secundum alios affinis est theoriae de sacramentorum per Christum « institutione in genere »; immo quoad substantiam cum ea identificatur; secundum alios ab ea essentialiter differt. Si affinis est, et multo magis, si cum ea identificatur: iisdem difficultatibus et dubiis obnoxia est, quae contra hanc theoriam urgentur. — Si differt, differentia in eo est, quod — (prout supra in fine n. 3 Appendicis expositum est) — specificae et distinctivae qualitates externi modi, quo potestas Ordinis confertur, dicuntur manere extra vim significativam sacramentalis signi; dum e contra elementum, quod Ecclesia ad complendam « institutionem in genere » addit, in ipsum signum sacra-

mentale intrat, tamquam elementum vim significativam signi sacramentalis complens. Sed tunc oritur quaestio, num analysis et constructio, supra n. 3 data, rei veritati correspondeat et num sufficienter probata sit. Sed tota haec quaestio (utrum scl. nova haec theoria coincidat cum theoria de institutione in genere, an ab ea essentialiter differat) missa fieri potest; nihil enim confert ad formandum et probandum iudicium de hac theoria, in se sumpta.

3) Haec theoria hodie nondum est sufficienter examinata et inter Theologos discussa; neque argumentis supra allatis redditur sufficienter certa. Ideo, saltem interim, dici nequit theoria theoretice et practice tuta.

4) Haec theoria ex altera parte cum iis, quae in nova Constitutione Apostolica sive « declarantur » sive « disponuntur », componi posse videtur. Nam etiam supposita hac theoria, modus externus collationis potestatis Ordinis seu ritus essentiales, (quibus sacramentum Ordinis confertur, et sine quibus nulla valida collatio Ordinis peragi potest) sunt hodie unice: impositio manuum et verba eam determinantia ad potestatem et gratiam Ordinis univoce significandam. Sunt iidem ritus, quibus iam tempore Apostolorum potestas et gratia Ordinis collata fuit, et quibus solis etiam hodie Ecclesia Ordinem conferre vult et confert. Theoria, de qua hic agitur, solummodo ulterius investigare intendit: quidnam *in his ritibus essentialibus* sit elementum ultimum et proprie constitutivum signi sacramentalis, a Christo Domino instituti.

Franciscus Hürth S. I.

SUMMARIUM

A. *Constitutio Apostolica*

B. *Commentarius*

C. *Appendix*

Doctrina de externa potestatis ordinis collatione, tamquam materia sacramenti Ordinis

ANNOTATIONES IN LITTERAS ENCYCLICAS "MEDIATOR DEI ET HOMINUM„

Religio catholica non moralis tantum est, seu universos hominum mores conformans, sed est etiam, ex institutione Christi et Ecclesiae exsecutione, socialis, dogmatica et, sive in iis quae ad Dei cultum sive quae ad hominum sanctificationem agit, ritualis seu caerimonialis, hancque ob causam Christus Dominus Ecclesiae suae trinam potestatem iurisdictionis, magisterii et sacerdotii contulit, per episcopos presbyterosque eius fungendam. Universitatem autem caerimoniarum, quibus Ecclesia Deum colit hominesque sanctificat, nomine catholicae liturgiae designamus, quamquam easdem caerimonias omnino proprie ita appellandas ducimus, solum quatenus ad divinum cultum pertinent.

Non eodem tamen modo omnes ritus atque caerimoniae liturgicae necessariae sunt. Ex ipsis enim ritibus alii necessarii sunt necessitate medii, vel absolute ad ipsam salutem aeternam assequendam, vel ad determinatum quendam effectum spiritalem gignendum, et hoc quidem, sive e divina sive ex ecclesiastica institutione; alii sunt necessarii necessitate praecepti, gravis vel levis, divini vel ecclesiastici. Omnes praeterea necessarii sunt, quatenus sine ritibus cultus exterior atque publicus prorsus esse non potest. Ritibus autem principalibus adiectae caerimoniae necessariae quoque sunt, ut illorum perfunctio apte et decore, maiore vel minore pro locis ac temporibus splendore, agatur, intima quoque significatio clarius manifestetur, augeaturque efficientia. Universa denique liturgia necessaria est, ut christianorum vita plene religiosa fiat, socialis seu ecclesiastica, stabilis ac fixa; ut exercitiis pie-

tatis atque asceseos privatae copiosior sucus gratiarum suppeditetur, iisque forma quaedam constituatur, qua contineantur et protegantur; ut catechetica doctrinae catholicae expositio ipsarum sanctarum rerum perpetuo communique usu compleatur et confirmetur. Nemo, verbi gratia, satis intellegere poterit, quid sit missa, quin saepe pieque illi interfuerit, neque quid nobis de sanctissima Trinitate credendum sit, quin hanc liturgicis ritibus et precibus assidue coluerit.

Quin scribere non dubitavit Pius XI in encyclica *Quas primas* (11. X. 1925) de instituendo festo Christi Regis: « Etenim in populo rebus fidei imbuendo, per easque ad interiora vitae gaudia evehendo, longe plus habent efficacitatis annuae sacrorum mysteriorum celebritates, quam quaelibet, vel gravissima, ecclesiastici magisterii documenta; siquidem haec in pauciores eruditioresque viros plerumque cadunt, illae universos fideles percellunt ac docent; haec semel, illae quotannis atque perpetuo, ut ita dicamus, loquuntur; haec mentes potissimum, illae et mentes et animos, hominem scilicet totum, salutariter afficiunt. Sane, cum homo animo et corpore constet, debet is exterioribus dierum festorum solemnibus ita commoveri atque excitari, ut divinas doctrinas per sacrorum varietatem pulcritudinemque rituum copiosius imbibat, et, in sucum ac sanguinem conversas, sibi ad proficiendum in spirituali vita servire iubeat ».

At, heu miserrimos homines, quam multi sunt hodie, in nationibus quibusdam quae catholicae dicuntur, qui procul ab uno illo vitae supernaturalis aeternaeque salutis fonte manent, vel etiam illum prorsus deseruerunt! Quam pusillus contra eorum grex, qui diebus festis ac dominicis missae assidue intersunt; qui eosdem dies et sacra adventus vel quadragesimae tempora christiano modo transigere noverunt; qui confessioni et communioni semel in anno tempore paschali faciendae fideles sunt! Quot sunt in maioribus urbibus qui ipsi baptizati non sunt; qui filios suos

baptizari recusant, vel certe baptizandos non curant; qui aliud matrimonium nolunt aliudve funus, nisi mere civile! Tristem profecto imaginem vitae catholicae hodiernae, saltem in quibusdam regionibus, ille sibi effingeret, qui statisticas rationes quae in singulis dioecesibus de iis rebus maiore vel minore diligentia atque animo conficiuntur, in unum colligeret.

Qui autem sint illius defectionis effectus, omnium oculis patet. Si enim fidei christianae ruina, rerum religiosarum ignorantia atque incuria, si morum privatorum et publicorum paganisatio, feminarum praepropera emancipatio familiaeque dissolutio, si lucri et oblectamentorum immodica cupiditas, si impiorum obtrectationes et irrisiones, illius alienationis praecipuae causae sunt, dubium minime est quin pleraeque morum depravationes quas diximus, eiusdem effectus quoque sint. Itaque, cum quaeritur quaenam sint tam perniciosae sacrarum caerimoniarum desertionis remedia, perperam censuerit quis ea alia esse non debere, nisi ea quae ceteris aetatis nostrae malis opponenda sunt, quoniam, his sanatis, necesse sit instauretur quoque in populo liturgicarum perfunctionum usus. Etenim si verissimum est, redintegrata fide correctisque moribus, fore quoque ut renovetur fidelium liturgica vita, non minus certum est illam redintegrationem atque correctionem effici non posse, nisi per restitutum apud homines usum liturgicorum rituum, eucharistici sacrificii potissimum et sacramentorum. Et quidem eo magis quod, ut dictum est, sine bene ordinata rituum liturgicorum celebratione neque christianae religionis praedicatio vel doctrina, neque christianorum morum cohortatio, neque privatae asceseos exercitia, saltem apud vulgum, integram vim habere possunt, multoque minus solidam diuturnamque frugem gignere. Ne multa, eatenus tantum vigere potest vita christiana, quatenus viget liturgia catholica, et, nisi homines qui eam prorsus vel e parte deseruerunt, ad illam iterum se con-

verterint, nulla speranda est vera perennisque vitae christianae redintegratio.

Porro ad illos retinendos qui adhuc fideles manserunt, illos vero revocandos qui plus minusve defecerunt, spectat amplissimus ille apostolatus liturgicus, cui per orbem catholicum, sacrorum pastorum ductu, innumeri homines e clero utroque et laicatu operam atque studium navant, signumque est hoc certissimum neutiquam tabuisse in Ecclesia catholica divinum vigorem illi a Conditore suo infusum. Verum tamen, etsi operosi atque industrii illius apostolatus spectaculum animos nostros magna fiducia implere debet, nobis agnoscendum nihilo minus est perquam arduum opus et, pro humana rerum existimatione, paene desperatum illi propositum esse.

Poteruntne ii unquam ad partem suam sacrae liturgiae denuo capiendam converti, qui, christiana religione prorsus repudiata, ipsis infidelibus deteriores facti sunt? Nonne ipsa obligatio illud agendi conversionis suae impedimentum erit, potius quam invitamentum? Poteruntne tepidissimi illi fideles, qui censent catholicae vitae rationem, praeter baptismi, confirmationis, ultimorum sacramentorum susceptionem, praeter matrimonii et funeris religiosam perfunctionem, nihil plus postulare, quam ut quis tempore puerilis suae institutionis missae dominicali ac festivae intersit, et aliquoties ad sacramentum paenitentiae et communionis accedat, poteruntne, inquam, illi ad hoc adduci, ut, mutata prorsus mente, non solum duo illa sacramenta saltem semel in anno accipiant, sed etiam missam singulis diebus festis de praecepto singulisque dominicis audiant? Poteruntne catholici qui colentes appellantur, in sua fidelitate non modo retineri, sed, quod horum temporum condiciones acerrime postulant, etiam confirmari? Quibus denique rationibus difficillimum illud conversionis vel confirmationis munus efficiendum est? Utrum aliis nullis praeter eas quae his saeculis adhibitae sunt, doctrina, hortatione, paenae aeternae comminatione, ip-

sarum caerimoniarum maiore in aetates deminutione, an multo potius, doctrina quidem, hortatione iustaque minatione, at simul omnium animorum suasione et allectatione quadam, liturgicarum functionum plena instauratione atque accomodatione, adstantium vero amplissima in earundem celebrationem admissione? Ad haec ipsa per se difficillima negotia accedit quod in multis regionibus non solum sacerdotum sacrorumque pastorum cogitationes et curae illis magis magisque impenduntur, sed ad ea ferventiorum omnium utriusque sexus fidelium studia convertuntur.

Est igitur quaestio liturgica, eaque gravioribus urgentioribusque negotiis adnumeranda, quae in praesentia prudenti Ecclesiae iudicio ac moderationi obversantur: de ipsa christianae religionis vita res agitur. Qui hoc non videt, caecus est.

Nihil mirum ergo si Summus Pontifex ac Pastor opportunum existimavit de sacra liturgia proprias copiosissimasque encyclicas litteras conscribere, quibus docendo, hortando, corrigendo, validissimam illius instaurationem, omnium bonorum communi ordinataque opera exsequendam, summa sua auctoritate moderetur.

Quid encyclica *Mediator Dei et hominum* de natura, dignitate, proprietatibus catholicae liturgiae doceat, quamnam rationem suadeat tenendam, ut fideles omnes rite illius celebrationi interesse suescant; quosnam errores, ad doctrinam vel actionem liturgicam pertinentes, apud quosdam reprehendat et corrigat, paucis verbis nobis est hic demonstrandum.

I

Liturgiam catholicam praecipue e sacrificio missae, sacramentis, officio constantem demonstrat tota encyclica. Porro praesertim cum officio divino coniungit celebrationem anni liturgici, id est complexus dominicarum, fe-

riarum, festorum, quotannis iterandi. Cum enim eucharistici sacrificii et sacramentorum perfunctionis ratio prorsus eadem maneat, officium divinum totum, excepto ordine suo paucisque partibus fixis, pro singulis hebdomadis vel anni diebus, singulisve uniuscuisque diei temporibus variandum est. Verum quidem est etiam missae partes quasdam mutabiles esse, sed hae pleraeque natura sua officii viciniores sunt, quam eucharistici sacrificii. Sacramentalium denique ac benedictionum, litaniarum ac processionum encyclica obiter dumtaxat mentionem facit; patet vero has caerimonias, ut partes secundarias ad principales, ad sacramenta vel ad divinum officium referendas esse.

At quatenus sunt liturgica sacrificium missae, sacramenta, officium divinum? Utrum totae liturgicae sunt singulae illae caerimoniae, an pro parte tantum sua? Seu estne in iis liturgicum solum id quod sensibile, « caerimoniale », ornativum est, vel id solum quod ab Ecclesia ritibus ab ipso Christo institutis diversas ob causas additum est, an est liturgicum in iis etiam id quod principale est et ab ipso Domino institutum? Suntne liturgica praeter ipsum divinum officium, ipsum quoque sacrificium eucharisticum, ipsa sacramenta?

Hanc esse certam definitamque encyclicae doctrinam, in qua tamquam in fundamento tota innitatur, luce solis clarius est. Nonne cum tota de liturgia conscripta dicatur, tota quoque in ipso eucharistico sacrificio, in ipsis sacramentis, in ipso divino officio tractando versatur, adeo ut de horum ritibus secundariis, sicut de ceteris caerimoniis ab Ecclesia institutis, vix non prorsus sileat? Quin aperte affirmat sacram liturgiam cum ex humanis, tum e divinis constare elementis, quae cum a divino redemptore constituta sint, nullo modo ab hominibus mutari possunt. Ubi autem de participanda a fidelibus missae celebratione disserit, aliud non considerat, nisi qua ratione hi ipsum eucharisticum sacrificium participare possint ac debeant, totamque quaestionem dogmatice perpendit et solvit. Et

quomodo affirmare poterat Ecclesiam, accepto a conditore suo mandato fideliter obtemperantem, sacerdotale Iesu Christi munus imprimis per sacram liturgiam perficere, si hanc solum e secundariis quibusdam ritibus iisque ab Ecclesiis institutis constare censeret?

Summa igitur in Ecclesia auctoritate plane approbatur et sancitur ea liturgiae sacrae notio, quam, utpote veram olimque theologorum omnium communem, liturgistae catholici his decem fere lustris tueri non destiterunt. Gravibus e contrario verbis monentur se ambos a vera germanaque sacrae liturgiae notione ac sententia omnino aberrare, cum ii qui eam meram legum decretorumque summam ducunt, quibus sacri ritus instruantur atque ordinentur, tum ii qui illam divini cultus partem externam dumtaxat ac sensibilem, vel decorum quendam caerimoniarum apparatum existimant.

Natura autem sua sacra liturgia est cultus publicus quem redemptor noster, Ecclesiae caput, caelesti Patri adhibet, quemque christifidelium societas conditori suo et per hunc aeterno Patri tribuit; seu, ut omnia breviter perstringantur, sacra liturgia est integer ac publicus cultus mystici Iesu Christi corporis, capitis nempe membrorumque eius.

In qua definitione quomodo accipiendum est nomen cultus? Estne cultus ille tamquam medium quoddam coniunctionis Dei et hominum, per quod scilicet Deus hominem ad divinam unionem movet, homo ad hanc unionem consequendam tendit; vel universitas rituum atque caerimoniarum quibus sive Deus hominem sanctificat, sive homo Deum honorat eique servit? An est cultus solum hoc, id est contextus rituum atque caeremoniarum quibus homo Deo ob singularem suam excellentiam summumque dominium debitum honorem ac servitutem exhibet? Hanc esse apud s. Thomam divini cultus notionem compertum est. Secundum eam enim cultus divinus debitum est iustitiae cuiusdam commutativae erga Deum. Per operatio-

nem cultus, quae in aliqua exhibitione sita est, homo Deo, primo omnium rerum principio ac summo domino, id quod eius est, honorem nempe et famulatum, ad quandam proportionem tribuit. Etenim ius alteri ad aequalitatem tribuere homo homini tantum potest, neutiquam Deo, et ex hoc capite perfunctio cultus divini multum a perfecta commutativa iustitia distat, cuius est ius ad absolutam aequalitatem reddere.

Iam vero eadem videtur esse notio cultus divini in encyclica. Nonne illam manifesto significat, ubi docet hominem recto ordine ad Deum dirigi, cum debitum cultum atque obsequium per religionis virtutem Deo uni et vero praestat; hoc porro officio imprimis quidem singulos homines, at humanam quoque communitatem universam, socialibus nexibus conformatam, obstringi; eodem homines peculiari ratione teneri, quia a Deo ad ordinem supranaturalem evecti sunt? Ad quid enim nisi ad illam notionem spectant voces « debitum cultum atque obsequium praestare », « per virtutem religionis », « officio teneri, obstringi »? Nam virtus religionis, quae hominem ad divinum cultum rite exsequendum disponit, est secundum s. Thomam pars potentialis virtutis iustitiae, a cuius ratione in hoc tantum deficit, quod debitum suum ad aequalitatem solvere non potest.

Proprium quidem est sacrae liturgiae quod esse non potest sine mystica quadam coniunctione hominum Deum colentium cum Christo Domino, et in hac veritate inculcanda fere tota encyclica versatur, ut apparet ex ipsis primis eius verbis, *Mediator Dei et hominum*, atque e liturgiae definitione, quam supra memoravimus. Idem maxime affirmat, ubi rationem explicat qua fideles celebrationem sacrificii eucharistici participare possunt. Scribit, verbi gratia: « Expedit ... ut christifideles omnes animadvertant summo sibi officio esse summaeque dignitati eucharisticum participare sacrificium, idque... tam impense tamque actuose, ut cum summo sacerdote artissime con-

iungantur... atque una cum ipso et per ipsum illud offerant, unaque cum eo se devoveant ». Et iterum: « Quantumvis... externae rationes rerumque adiuncta, quibus christianus populus eucharisticum sacrificium participat ceterasque liturgicas actiones, varia ac dissimilia esse queant, eo tamen studiosissime semper contendendum est, ut artioribus, quibus fieri possit, nexibus adstantium animi divino Redemptori devinciantur ».

Verum liquet hanc consociationem non esse coniunctionem illam hominum cum Deo, quae secundum quosdam est finis proprius cultus divini, sed coniunctionem omnium corporis mystici membrorum cum capite suo in cultu divino celebrando, qui ex ea ipsa totam virtutem suam Deo placendi accipit.

At enim encyclica sacram liturgiam etiam gratiarum ac sanctitatis fontem pluries significat, non solum ut haec e sacramentis, sed etiam ut ex officio divino, mysteriorum Christi commemorationibus, sanctorum festis ipsoque eucharistico sacrificio constat. Sacramenta quippe peculiaria instrumenta dicuntur, quibus supernaturalis vita ab hominibus participatur, seu septem praecipui salutis fontes, divinae gratiae divinaeque vitae rivuli; eadem sacramenta altarisque sacrificium sunt ipsius Christi actiones, quibus divini capitis gratia in mystici corporis membra transmittitur ac diffunditur; natura ac ratione sua sacra liturgia, ut ad sacrificium, ad sacramenta, ad divinas laudes pertinet, itidem ad nostrorum animorum cum Christo coniunctionem spectat, eorumque sanctimoniam per eum adipiscendam; sacri ritus ita nobis sunt celebrandi, ut alacrius inde ad precationis christianaeque abnegationis studium animati atque conformati evadamus, promptioresque ad actuose gratiae invitamentis obtemperandum, ad redemptoris vero virtutem magis magisque imitandam; mysteriorum Christi denique commemorationes, sanctorum vero festa nobis non exempla solum imitanda, sed fontes quoque gratiarum et caelitum patrocinia suppeditant.

Facit hoc profecto encyclica, attamen numquam ita ut definitioni liturgiae contradicat, secundum quam haec aliud non est, nisi cultus honoris ac servitutis Deo ob suam excellentiam et summum dominium debitus. Quamquam enim etiam utilitatem nostram spiritalem pariunt, sacrificium tamen missae, officium divinum, commemorationes mysteriorum Christi, festa sanctorum praecipue ad Dei honorem ac famulatum spectant, et eatenus ritus liturgici sunt. Quod autem ad sacramenta pertinet, docet s. Thomas [1].

In usu sacramentorum duo possunt considerari, scilicet cultus divinus et sanctificatio hominis. Quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum, secundum autem, e converso, pertinet ad Deum per comparationem ad hominem.

Duobus porro modis homo Deum colit: vel exhibendo aliquid ei, velut in sacrificio fit; vel etiam assumendo aliquid divinum, quod praecipue in usu sacramentorum agitur, ut fontes sunt gratiae et sanctitatis, resque divinae [2].

Mirationem aliquantum movet quod in definitione liturgiae quam habet encyclica, nulla est mentio Spiritus sancti, qui tamen in omni cultu christiano cum Patre et Filio conglorificandus est. Quare alio encyclicae loco aperte docetur finem esse liturgiae ut Christus honoretur et per eum et in eo Sanctissima Trinitas. Omissio quam diximus, eo explicanda est quod Pater in liturgia praecipua quadam ratione colitur, quia, cum sit ipse sine principio, principium est duarum ceterarum personarum, adeo ut in Patre colantur quoque cum Filius tum Spiritus sanctus.

Docet denique encyclica cultum liturgicum quem Christus Patri, Ecclesia vero Christo et, per Christum, ipsi Patri adhibet, esse publicum. Quomodo est hoc intellegendum? Certe non eo modo dumtaxat quo cultus publicus in Codicis c. 813 dicitur, id est quatenus nomine Ecclesiae per personas ad id legitime deputatas defertur, sed in definitione quam praebet encyclica, cultus liturgicus

[1] *Summa theologica*, III, q, 60, a. 5, c.
[2] *Summa theologica*, II-II, q. 81, a. 3, ad 2

altiore quoque ratione publicus dicitur. Publicus enim est prout a Christo Ecclesiae capite et a christifidelium societate, id est Ecclesia seu a Christo mediatore Dei et hominum, praestatur, estque totius mystici corporis opus; vel etiam prout a sacerdote visibili agitur nomine Christi et christifidelium societatis, cuius Christus caput est. Duae nimirum distinguendae videntur publici cultus rationes, altera mystica, altera canonica. Haec illam tamquam fundamentum habet.

Quod ergo ad ipsum eucharisticum sacrificium pertinet, quotiescumque illud rite a sacerdote conficitur, « necessario ac suapte natura publico... munere fruitur; quandoquidem, is qui illud immolat, et Christi et christifidelium, cuius (quorum?) divinus Redemptor est caput, nomine agit ... Idque fit procul dubio, sive christifideles praesentes adsint,... sive non adsint, cum neutiquam requiratur ut, quod sacrorum administer fecerit, populus ratum habeat ». Quin, ut eucharisticum sacrificium actus publicus sit, ne acolythi quidem praesentia (intellege ministri missae privatae) necessaria est.

Ad propriam liturgiae naturam referendum denique est quod praeter partes humanas, ex Ecclesiae ordinatione vel institutione ortas, divinas quoque partes complectitur, id est ab ipso Christo institutas. Talia certe sunt eucharisticum sacrificium et ipsa sacramenta. Quod igitur ad partes suas substantiales attinet, cultus liturgicus divinae institutionis est, ac ne ab Ecclesia quidem ullo modo immutari potest. Easdem vero partes plenius ordinare aliosque ritus et caerimonias instituendo complere solius Ecclesiae est. Quae omnia iure canonico clare definiuntur, et contra obortos abusus quosdam ipsa encyclica memorantur.

Quoniam autem maxima sacrae liturgiae res sacrificium eucharisticum est, quid doctrina fidei de huius natura, finibus, efficacia affirmet, encyclica breviter commemo-

rat. Per sacrificium eucharisticum, inquit, singillatim homines vitali modo crucis sacrificium attingunt.

At encyclica liturgiae non naturam tantum sed etiam praecipuas quasdam proprietates illustrat.

Artissime quidem cohaeret cum natura cultus liturgici quod exterior est; hoc tamen ita dumtaxat esse potest, ut praecipuum eius elementum internum sit. « Oportet enim semper in Christo vivere, eidemque se totum dedere, ut in eo, cum eo et per eum debita caelesti Patri attribuatur gloria. Sin minus, religio profecto inanis ritus ac vacua formae ratio evaderet ». Etsi potissimum interior esse debet cultus liturgicus, non tamen sequitur praecipuam efficientiam eius, quod ad homines qui illo utuntur, non ipso exteriore ritu pari, quippe quae sit ex opere operato vel opere operantis Ecclesiae. Etenim « retinendum est sacramenta altarisque sacrificium intimam habere in semet ipsis virtutem, utpote quae sint ipsius Christi actiones, quae divini capitis gratiam in mystici corporis membra transmittant atque diffundant ». Cui virtuti accedit, cum illa quam sacramenta atque eucharisticum sacrificium ex actione Ecclesiae, ea precibus sacrisque caerimoniis adornantis, trahunt, tum illa quae ex eodem fonte hauriunt sacramentalia ceterique ritus ab Ecclesia instituti. Haec gemina virtus ea est quam hodierni homines « obiectivam » vocare amant.

Mysticus dicendus est idem cultus, quia est opus totius corporis mystici; mystericus vero, quia non solum ipse Christus praesens est, sed praesentia quoque sunt mysteria nostrae redemptionis. « In omni actione liturgica una cum Ecclesia praesens adest divinus eius conditor; praesens adest Christus in augusto altaris sacrificio, cum in administri sui persona, tum maxime sub eucharisticis speciebus; praesens adest in sacramentis virtute sua, quam in eadem transfundit, utpote efficiendae sanctitatis instrumenta; praesens adest denique in Deo admotis laudibus ac supplicationibus, secundum illud: Ubi enim sunt duo vel tres

congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum ». Ipse liturgicus annus autem, « quem ecclesiae pietas alit ac comitatur », « est Christus ipse, qui in sua Ecclesia perseverat, quique immensae misericordiae suae iter pergit, quod quidem in hac mortali vita, cum pertransiit benefaciendo, ipse pientissimo eo consilio incepit, ut hominum animi mysteria sua attingerent, ac per eadem quodammodo viverent; quae profecto mysteria, non incerto ac subobscuro eo modo quo recentiores quidam scriptores effutiunt, sed quomodo catholica doctrina nos docet, praesentia continenter adsunt atque operantur; quandoquidem ex Ecclesiae doctorum sententia, et eximia sunt christianae perfectionis exempla, et divinae gratiae sunt fontes ob merita deprecationesque Christi, et effecto suo in nobis perdurant, cum singula, secundum indolem cuiusque suam, salutis nostrae causa suo modo exsistant ».

Dogmaticus est cultus liturgicus, quatenus « cum sit etiam veritatum caelestium professio, quae supremo Ecclesiae magisterio subicitur, argumenta ac testimonia suppeditare potest, non parvi quidem momenti, ad peculiare decernendum christianae doctrinae caput ».

Stabilis denique et unus, at non adeo ut non possit Ecclesia, salva eucharistici sacrificii sacramentorumque substantia, id in illo immutare quod omnino cum re congruens non existimaverit; id adicere, quod aptius visum fuerit ad Iesu Christi augustaeque Trinitatis honorem augendum, atque ad erudiendam et salutariter excitandam christianam plebem. Quae sunt in cultu liturgico humana elementa « prout temporum, rerum animorumque necessitates postulant, varias commutationes habere possunt, quas ecclesiastica hierarchia... comprobaverit. Inde miranda illa oritur orientalium atque occidentalium rituum varietas; inde progrediens incrementum proficiscitur, quo peculiares excolendae religionis consuetudines ac peculiaria pietatis opera pedetentim evolvuntur, et quorum tenue dumtaxat indicium superioribus aetatibus habebatur;

atque inde etiam interdum evenit, ut pia hac in re instituta, temporis decursu oblitterata, iterum in usum revocentur, iterumque renoventur ».

Estne proprium quoque cultus liturgici ut sit collectivus seu synaxalis, id est hierarchicae cuiusdam communitatis opus? Est sane, atque ita esse declarant omnes libri liturgici antiqui et hodierni cuiuslibet ritus, imprimis vero ipsius ritus romani, ut de innumeris documentis non liturgicis sileamus, quales sunt synodorum canones, scripta patrum, acta quaedam martyrum aliaque plura. Quae tamen liturgica societas non est ita intellegenda, quasi iam ante caeremoniae celebrationem sit, et hanc collectivam faciat, sed, e contrario, ex illa celebratione oritur, cum celebrantes, assistentes, ministri, cantores, chorales, fideles, suo quisque munere fungentes, inter se, etiam singuli cum singulis, sociantur. Non potest igitur liturgica exsistere synaxis seu collecta, nisi e legitima caerimonia legitime celebranda; virtualiter vero collectiva manet caeremonia, etiam si ea legitimus celebrans prorsus solus fungatur.

Namque celebrans, qui plerumque sacerdos est, solus: 1. utpote Christi minister atque Ecclesiae procurator, nomine ceterorum omnium in caeremonia praesentium agit; 2. principalis Ecclesiae deputatus constituitur ad cultus publici perfunctionem quandam; 3. sacramenta, praeter matrimonium, et sacramentalia conficit confertque; 4. iis caeremoniarum ritibus fungitur, quibus maxime significatur atque efficitur praesentium consociatio liturgica; 5. absentium ministrorum, lectorum, cantorum, populi partes legitime suscipit, adeo ut saepe etiam totam caeremoniam solus exsequi possit vel debeat.

Hanc collectivam naturam cultus Ecclesiae publici, in qua potissimum fiduciam suam reponunt ii qui in amore usuque sacrae liturgiae apud populos instaurando elaborant, encyclica non valde quidem explicat, sive quia, ut diximus, ritus caeremoniarum secundarios minus atten-

dit, sive quia in ea re moderatio potius quam incitatio necessaria videbatur, sed non obscure tamen significat, ubi de cultu liturgico et imprimis sacrificio missae a fidelibus actuose participando agit.

II

Fideles etiam laicos, satis habere non posse animo tantum cum liturgicis caeremoniis coniungi, vel iis tamquam spectatores adesse, sed illarum celebrationis aliqua ratione participes fieri debere, evidens est. Haec autem participatio duobus modis fieri potest. Sola participantium rituali praesentia, quippe quae vere pars ipsius caeremoniae sit, et huius ritibus, seu iis quae in ea sunt dicenda atque agenda, manifestus assensus. Omnis enim caerimonia et ritualem omnium participantium conventum, et rituum quorundam ordinatum contextum complectitur. Liquet porro illam praesentiam, quantum fieri potest, attentam esse debere, plenam, constantem, efficacem. Quod si ad id efficiendum quaedam dicenda vel agenda sive a singulis, sive a cunctis participantibus, adhibentur, non propter hunc solum usum illa ipsius caeremoniae partes constituuntur, quamvis eiusdem caeremoniae ritibus similia sint. Velut cum in missa privata « dialoganda » partes quaedam illius a fidelibus adstantibus recitantur; haec enim recitatio neutiquam ipsius missae pars existimari potest, sed tota privata missae celebratio soli sacerdoti celebranti eiusque ministro liturgicis legibus commissa manet. Altera participationis ratio, cum rituali participantium praesentia, tum ipsis caeremoniarum ritibus quibusdam ab iisdem legitime fungendis efficitur. Hac ratione caeremonias liturgicas participant celebrans vel celebrantes, assistentes, ministri, lectores, cantores, sacramentorum vel sacramentalium « subiecta », cum alterutra adultis conferuntur, pauci alii, ut sunt, verbi gratia, sponsi in ritu sui matrimonii, patrini et matrinae baptismi vel con-

firmationis, monachus in sua oblatione. Attamen, ut diximus, proprium celebrantis munus aliquo semper modo tam principale est, ut potius quam caeremoniae pars, huius substantia dicenda sit, cumque ipse assistentium, ministrorum, lectorum, cantorum partes sibi queat assumere, suas cum illis communicare nequaquam possit.

Quid autem fidelibus adstantibus in caeremoniarum ritibus fungendis ad normas liturgiae romanae permittitur? Tam parum, ut paene nihil sit. His decenniis tantum, post instauratum cantum gregorianum, editosque in usum populi ideoneos libellos, mos ortus est, et hortatu summorum pontificum invaluit increbruitque, cum populo communicandi cantum earum ordinarii missae partium quae usque ad illud tempus propriae erant chori cantorum. Nec dubium videtur quin populus, cum his cantibus fungitur, id agat, prout populus est, non autem tamquam chori munus praestans. Praeterea, privata auctoritate ordinariorumque quorundam permissu, in consuetudinem inductae sunt missae lectae participandae novae rationes, quae forma sua plenius cum illius ritibus congruerent, fidelesque artius cum eius celebratione coniungerent, velut explanatio singulorum missae rituum fidelibus per ipsam eius celebrationem facienda, recitatio ab uno ex adstantibus pro omnibus earum formularii missae partium quae magis ad eos spectant, « dialogus », qui dicitur.

Una utique via est ac ratio homines sacrae liturgiae reconciliandi, eos videlicet ad hoc adducere, ut illius perfunctionem aliquo modo participent, neque mirum est, si encyclica ad hanc liturgicam fidelium participationem definiendam, commendandam, moderandam potissimum spectat.

Participatio autem liturgica per excellentiam est participatio missae, vel, ut ad propriam encyclicae mentem loquamur, participatio ipsius eucharistici sacrificii. Qua vero ratione queunt fideles ipsum eucharisticum sacrificium participare, seu per hanc participationem ipsam di-

vinam victimam, corpus sanguinemque Christi, offerre? Huic gravi subtilique quaestioni persolvendae encyclica peculiarem curam adhibet.

Secundum communem theologorum hodiernorum doctrinam sacrificium eucharisticum, id est immolatio et oblatio divinae victimae, eodem ritu ex opere operato perficitur, quo panis et vinum in corpus et sanguinem dominicum convertuntur, seu eorundem consecratione [3]. Ipsius autem conversionis causa principalis est solus Deus, unus et trinus, qui, tamquam causam instrumentalem coniunctam atque immediatam, Christi hominis, tamquam causam instrumentalem separatam ac mediatam, visibilis sacerdotis ministerium adhibet. Potestate igitur principali Deus, potestate ministeriali excellentiae Christus homo, potestate ministeriali vicaria sacerdos visibilis consecrant. Ecclesia vero ipsa neutiquam consecrat, sed, quod ad consecrationem attinet, habet tantum illam supremam auctoritatem dispensationis, cui subicitur omne ministerium in sacramentis. Neque ullo modo consecrant fideles, sed aliud non possunt, nisi a sacerdotibus petere, vel ex iustitia exigere, ut illi sua causa consecrent.

Immolationis vero atque oblationis corporis et sanguinis dominici, quae ipso consecrationis ritu efficiuntur, tres sunt actores: Christus, Ecclesia, sacerdos visibilis. Christus principalis oblator est singulorum sacrificiorum quae in terris offeruntur, sive oblatione virtuali dumtaxat, id est oblatione semel in ultima cena et in cruce peracta, adhuc tamen et semper efficaci, sive, quod probabilius est, oblatione actuali. Non amplius autem solus offert, sicut in cena et in cruce fecit, sed Ecclesiam secum consocians et pro ea offerens, ut haec est Christi corpus mysticum, ipse eius caput. Offert porro etiam ipsa Ecclesia oblatione plus minusve determinata ac definita uniuscuiusque sacri-

3 M. DE LA TAILLE, *Mysterium Fidei*, ed 3, p. 35-36; 39; 101-102; 180; 195-196; 237; 248; 267; 299-301; 303; 317, 327-328; 396, cum. n. 1; 433; 437; 582, n. 3.

ficii eucharistici. Offerunt denique sacerdotes visibiles, oblatione actuali singulorum sacrificiorum eucharisticorum, sed solum prout sunt Christi Ecclesiaeque ministri: Christi, ob instrumentalem potestatem ab eo cum sacerdotibus per ordinationem communicatam; Ecclesiae, ob perpetuum procuratoris munus ad eucharisticum sacrificium offerendum spectans, pariterque ordinatione sacerdotali collatum.

Verumtamen etiam fideles, cum missae intersunt, divinam victimam, seu dominicum corpus et sanguinem, Deo offerre certissimum est, remque semel atque iterum aperte affirmat encyclica. Adumbrata autem eius demonstratione, adiungit: « Nec mirum est christifideles ad huiusmodi dignitatem elevari. Baptismatis enim lavacro generali titulo christiani, in mystico corpore, membra efficiuntur Christi sacerdotis, et charactere qui eorum in animo quasi insculpitur, ad cultum divinum deputantur, atque adeo ipsius Christi sacerdotium pro sua condicione participant ».

Qua porro ratione, et ea quidem non remotiore aliqua, sed intima, christiani omnes, ii praesertim qui altari adsunt, offerre dicantur, encyclica « breviter presseque » his verbis exponit: « Incruenta... illa immolatio, qua, consecrationis verbis prolatis, Christus in statu victimae super altare praesens redditur, ab ipso solo sacerdote perficitur, prout Christi personam sustinet, non vero prout christifidelium personam agit. At idcirco, quod sacerdos divinam victimam altari superponit, eandem Deo Patri, qua oblationem, defert, ad gloriam sanctissimae Trinitatis et in bonum totius Ecclesiae. Hanc autem restricti nominis oblationem christifideles suo modo, duplicique ratione, participant: quia nempe non tantum per sacerdotis manus, sed etiam una cum ipso quodammodo sacrificium offerunt. Qua quidem participatione, populi quoque oblatio ad ipsum liturgicum refertur cultum. Christifideles autem per sacerdotis manus sacrificium offerre, ex eo patet, quod altaris administer personam Christi, utpote capitis, gerit,

membrorum omnium nomine offerentis; quo quidem fit ut universa Ecclesia iure dicatur per Christum victimae oblationem deferre. Populum vero una cum ipso sacerdote offerre non idcirco statuitur, quod Ecclesiae membra, haud aliter ac ipse sacerdos, ritum liturgicum adspectabilem perficiant, quod solius ministri est ad hoc divinitus deputati, sed idcirco, quod sua vota laudis, impetrationis, expiationis, gratiarumque actionis, una cum votis seu mentis intentione sacerdotis, immo Summi ipsius Sacerdotis, eo fine coniungit, ut eadem in ipsa victimae oblatione, externo quoque sacerdotis ritu, Deo Patri exhibeantur. Externus enim sacrificii ritus suapte natura cultum internum manifestet necesse est. Novae autem legis sacrificium supremum illud obsequium significat, quo ipse principalis offerens, qui Christus est, et una cum eo et per eum omnia eius mystica membra, debito Deum honore prosequantur ac venerentur ».

« Ut autem oblatio illa, qua in hoc sacrificio christifideles divinam victimam caelesti Patri offerunt, plenum sortiatur effectum », necesse est fideles semet ipsos quoque tamquam hostiam immolent. Et quoniam, cum eucharisticum sacrificium participant, christiani artissime cum Christo Domino, sacrificii sui sacerdote ac victima, coniunguntur, oportet omnino ut, quantum sinit humana infirmitas, eosdem in animis suis affectus excitent, quibus divini Redemptoris animus afficiebatur, cum se ipsum sacrificio offerebat, illam quoque victimae propriam condicionem admittant, pro qua semet ipsos abnegent, paenitentiae ultro libenterque dent operam, admissa sua detestentur atque expient.

Plures rationes quibus fideles eucharisticum sacrificium participare possint, ab encyclica percensentur.

Ratio fundamentalis, ut ita dicamus, est ipsa ritualis praesentia, quae eo efficacior erit, quo animorum attentio acrior erit atque constantior. Hoc autem effici potest, « verbi gratia, Iesu Christi mysteria pie meditando, vel

alia peragendo pietatis exercitia aliasque fundendo preces, quae, etsi forma a sacris ritibus differunt, natura tamen sua cum iisdem congruunt ».

Inter ceteras rationes excellit communio sacramentalis, per quam fideles divinae victimae carnes edendo sanguinemque bibendo, non solum cum illa, sed inter se quoque, ineffabili divinoque vinculo iunguntur. Si ergo ad sacrificii eucharistici integritatem sola ministri sacrificatoris communio prorsus necessaria est; si communio quae ab uno fideli, ante vel post vel etiam extra missam, fit, idque pane aliquanto pridem consecrato, nihilo minus sacrificii cuiusdam eucharistici participatio est, et duplicem illam consociationem parit, quam diximus, tamen ritus communionis quo huius virtus plenissime manifestatur, est communionis quam omnes praesentes una faciunt post ipsam celebrantis communionem, atque id panibus in eadem missa consecratis. Quin in communione, sicut in ceteris caerimoniis, debent fideles « quotiescumque probabilis non obsistat causa, ea omnia efficere, quibus vivens mystici corporis unitas clarius pateat ».

Alius modus participandi a fidelibus sacrificii eucharistici, olim frequentissimus vel etiam ordinarius, est cum ab illis altaris administro panis et vinum offeruntur, quae in corpus et sanguinem Christi convertantur. Alius, hodie usitatissimus, eorum est qui stipendiorum erogatione curant ut sua causa divina victima a sacerdotibus offeratur. Quae tamen duae participationis rationes non omnino exigunt ut oblatores missae celebrationi intersint.

Praecipua quadam efficacitate ad sacrificium eucharisticum participandum est participatio, quantum fieri potest actuosa, totius missae sollemnis vel privatae. Eius modi quidam, praeter ipsam ritualem praesentiam, ab encyclica indicantur, qui, dummodo ad Ecclesiae decreta sacrorumque rituum normas temperentur, laude atque commendatione digni habendi sint. Talis est usus missalis romani, quo christifideles una cum sacerdote copulati iis-

dem eius verbis iisdemque Ecclesiae sensibus comprecantur. Tales sunt aliae rationes, quae praesertim hoc merito excellunt, quod liturgiam etiam externo modo actionem sacram faciunt, quam adstantes omnes vere cum celebrante communicant, sive, in missa privata, totus populus, secundum liturgicas normas, sacerdoti salutanti, hortanti, precanti ordinatim atque composite respondet, ut in missa « dialogata » fieri solet, vel cantus edit qui cum diversis missae partibus congruant, vel utrumque agit; sive, in missa sollemni, idem populus chori partibus fungitur, cum celebranti respondet ac liturgica cantica concinit.

Ut tamen in aestimanda illarum participandi rationum propria efficacitate ab omni veritatis superlatione atque traiectione abstineamus, meminisse debemus illas eo potissimum spectare, ut christianorum pietatem eorumque intimam cum Christo cumque eius adspectabili administro coniunctionem alant ac foveant, itemque internos illos sensus et habitus excitent, quibus animus noster Summo Sacerdoti novi testamenti assimiletur oportet. Seu, ut idem aliis verbis dicamus, potius quam in illis rationibus, participatio sacrificii eucharistici in intima quadam adstantium societate cum Christo et eius ministro posita est, quamquam, rursus, non e nostra sed e divina virtute liturgicis celebrationibus inest illa vis « quae membrorum pietatem cum pietate capitis coniungit, eandemque quodammodo reddit totius communitatis actionem ».

At non solum sacrificium eucharisticum totaque missa a fidelibus participanda est, sed universa liturgia. Quattuor quidem alias sacrae liturgiae functiones tantum a toto populo christiano participandas paulo uberius exponit encyclica: officium divinum per vesperarum communem celebrationem, dierum dominicorum et festorum sanctificationem, annuam mysteriorum redemptionis nostrae commemorationem, sanctorum et praecipue B. V. Mariae festivas memorias. Attamen expositionem suam generaliore hac monitione concludit: « Clerus populusque mentium animo-

rumque unitate inter se copulentur; atque adeo christiana plebs liturgiam tam actuose participet, ut haec reapse sacra actio fiat, in qua sacerdos, qui praesertim in sibi credita paroecia animorum curae incumbit, cum populari coetu consociatus, debitum tribuat aeterno numini cultum ».

Quo denique efficaciores evadant hortationes suae, encyclica illis non pauca eaque utilissima consilia adiungit, de quibus lector ipsum sacrum documentum adeat.

III

Si omnis traiectio error quidam est, in periculum tamen traiectionis admittendae is tantum venit qui prompta fide ardentique studio opus quoddam magnum inchoat et ad exitum suum perducere conatur. Fateamur ergo, non sine quodam dolore, in sacrae liturgiae finibus non paucas superlationes committi, quibus illius doctrina vel eius exercitium afficitur, sed simul gaudeamus, quoniam superlationibus illis atque erroribus clare demonstratur in illo regno hodie maiore quam umquam antea navitate a multis cogitari ac laborari. At restat adhuc ut haec opera a studiis ac deliberationibus, ab inordinatis, liberioribus, saepeque indecoris experimentis, in stabiles, graves divinoque cultui convenientes, uniformes ac legitimas celebrandi participandique rationes exeat, et id quidem sine mora. Actioni liturgicae ergo simul incitatione et moderatione opus est et utraque utitur encyclica *Mediator Dei et hominum*, cum laudi et hortationi paternam correctionem adiungit.

Prima traiectio illorum est, qui ex hoc initium facientes quod in liturgia tantum continentur ritus divinae vel ecclesiasticae institutionis, iique publici, prorsus communes ac sociales, efficaces ex opere operato vel operantis Ecclesiae, quibus plene efficiatur divina illa actio Christi atque Ecclesiae in animas, quae propria est corporis mystici, eorum perfunctioni, tamquam uni obiectivae pietati,

exercitationes pietatis subiectivae personalisque asceseos opponunt: videlicet meditationem, privatam post missam vel communionem actionem gratiarum, sanctissimi Sacramenti visitationem, rosarium, frequentem confessionem, conscientiae recognitionem atque censuram, sacros spiritalesque secessus. Quin haec omnia superflua et liturgicis functionibus contraria arbitrantes, e vita spiritali clericorum et laicorum, quantum fieri potest, auferre student.

Adversus illas conclusiones, quas fallaces, insidiosas, perniciosissimas esse declarat, encyclica iustam veramque rerum notionem memorat, et sacrorum rituum eximiam virtutem, ut par est, plane agnoscens, inter hos tamen et exercitationes privatae pietatis atque asceseos nullam esse discrepantiam vel repugnantiam demonstrat. Immo, sicut e devota liturgiae celebratione christianus homo, sive clericus sive laicus, alacrius ad precandi seseque abnegandi studium animatus atque conformatus evadit, promptiorque ad divinae gratiae invitamentis actuose obtemperandum, virtutes vero Redemptoris fideliter imitandas, ita pietate atque ascesi personali idem eximie ad devotam sanctamque cerimoniarum liturgicarum celebrationem vel participationem paratur.

Memorantur deinde ab encyclica praescripta vel consilia ab Ecclesia clericis data de praecipuis privatae pietatis vel asceseos exercitiis, voluntasque declaratur, ut huiusmodi exercitiorum christianus quoque populus particeps fiat. At iis hortationibus gravis sane haec monitio additur: « Verumtamen oportet omnino afflatus ille, quo quisque ducatur ad peculiaria peragenda pietatis exercitia, a Patre luminum oriatur... Cuius quidem rei index profecto efficacitas erit, qua haec exercitia efficere poterunt, ut divinus cultus cotidie magis adametur ac latius promoveatur, utque christifideles impensiore desiderio compellantur ad sacramenta rite participanda, et ad omnes res sacras debito obsequio debitoque honore prosequendas. Quodsi, contra, divini cultus principiis ac normis impedimenta

praebeant, vel iisdem obstent atque officiant, tum procul dubio existimandum est eadem non recto consilio, non prudenti studio ordinari ac dirigi ». Omnia sint in vita nostra spiritali non solum recte ordinata, atque composita, sed theocentrica quoque, ut ita cum encyclica dicamus, aderitque illi necessario omnium operarum suarum convenientia atque aequilibritas.

Cum prima illa superlatione manifesto cohaeret alius exclusivismus quidam, eorum nempe qui pietatis exercitia nonnulla, pia quidem et iterum atque iterum ab Apostolica Sede et ab episcopis approbata ac laudata, e vita nihilominus communitatum christianarum, quantum fieri potest, excludere velint, eo quod perfectae sacrarum caeremoniarum perfunctioni repugnent. Quorum in numerum ea pietatis officia referuntur, quae per mensem maium Dei genetrici, vel per mensem iunium sacratissimo Cordi Iesu praestari solent, itemque novendiales sive triduanae precationes, viae crucis stationes. Haec pia exercitia, quae per se ipsa admodum benefica sunt, et non sine salutari fructu nos cultus liturgici participes faciunt, non solum omnino retinenda sunt, et apud fideles commendanda, sed perniciosam rem egerit ac fallacem, qui sibi temerario ausu ea omnia reformare assumpserit, atque ad liturgicorum rituum rationes modosque reducere. Verumtamen etiam in ea salutariter valeant oportet sacrae liturgiae influxus et praecepta, ne quidquam in ea inducatur, quod ineptum sit, vel Dei domu indignum, vel ritibus sacris perfungendis detrimentosum.

Eximia vero laude dignus declaratur mos quo multa pietatis exercitia in christiani populi consuetudinem invecta, eucharisticae benedictionis ritu absolvuntur. « Optime enim, nec sine ubere fructu evenit, ut sacerdos pronis coram frontibus christianae multitudinis, angelorum panem ad caelum attollens, eumque in crucis formam rite circumferens, caelestem Patrem comprecetur benigne ut velit oculos ad Filium convertere, amore nostrum pati-

bulo suffixum, eiusque causa et per ipsum, qui redemptor et frater noster esse voluit, superna munera in eos effluere iubeat, quos immaculatus redemit Agni sanguis [4] ».

Exclusivismum quoque redolet recentiorum quorundam scriptorum affirmatio liturgiam, quippe quae verus sincerusque christianus cultus sit, totam in solum Christum « pneumaticum », ut aiunt, et glorificatum intendi debere, seu in Christum qualis est in praesentia, non autem, quod in devotione populari hodierna fit, in Christum « historicum ». Quantum autem haec asseveratio a germana liturgiae catholicae notione distet, manifesto ex ipsa huius ratione apparet. Totum enim haec Christum nobis proponit colendum et imitandum, in omnibus ac singulis vitae atque operae suae condicionibus. Magistrum quoque eum nobis ostendit ac pastorem, salutis nostrae conciliatorem, sanctitatis principium et mystici corporis caput. Perenni praeterea eucharistici sacrificii et sacamentorum celebratione passio Christi eiusque mors in cruce tamquam in centro totius liturgici cultūs permanent. In anno liturgico cum ipso Christo adsunt et operantur omnia eius mysteria, eximia perfectionis christianae exempla, et fontes divinae gratiae e meritis Christi surgentes.

Denique nimium veterum liturgiae rationum ac rerum studium, quod nomine archaeologismi notatur, exclusivismi quoque modus quidam est. Homines, plerumque politissimi, qui illi indulgent, ita sentire solent, tamquam veteres usus, idcirco tantum quod antiqui sunt, aptiores sint ac meliores, nulla vero consequentium temporum nova-

---

[4] Ex hac mystica eucharisticae benedictionis interpretatione non deducendum videtur in illa ipsum sacerdotem aliud non facere, nisi SS. Sacramentum attollere et in formam crucis movere; immo etiam in benedictione eucharistica, sicut in ceteris benedictionibus, in quibus manu, vel sacratissimae crucis reliquia, vel alia re sancta fideles benedicit, ipse sacerdos benedictionis minister est, etsi in ea danda rem sacratissimam adhibet, ipsum corpus Christi Domini. Cfr. *Rituale romanum*, tit. IV, c. 4, n. 23; n. 26; *Caerimoniale Episcoporum*, l. II. c. 33, n. 27 (« cum illo, scilicet ostensorio cum sanctissimo sacramento, signum crucis super populum ter faciens »).

rumque rerum condicionum ratio sit habenda. Omnia ergo ad antiquitatem quovis modo reducere gestiunt, enituntur que quoslibet vetustos ritus caerimoniasque in usum revocare, recentiora vero, quamvis per se reverenda sint atque observanda, supprimere vel deprimere. Qui sensus, etsi ab illorum absolutissimo archaeologismo multum distat, qui Ecclesiam romanam cultum a Christo institutum corrupisse criminantur, tamen non omnis periculi expers est.

Contra nimium illum antiquitatis amorem encyclica commemorat ecclesiasticam hierarchiam nullo non tempore suo iure usam esse divini instruendi ordinandique cultus, eumque novo semper, ad Dei gloriam christianorumque profectum, splendore ac decore ditandi; neque umquam dubitasse, salva sacrorum rituum substantia, id in eorum celebratione immutare, quod minus idoneum, id addere, quod illorum fini consentaneum censebat. Causas deinde percenset ob quas per diuturnas gloriosasque Ecclesiae aetates, sacrae liturgiae processus sensim pedetentimque explicari atque evolvi desitus non sit, et concludit: « Recentiores etiam liturgici ritus reverentia observantiaque digni sunt, quoniam Spiritus sancti afflatu, qui quovis tempore Ecclesiae adest ad consummationem usque saeculorum, orti sunt ».

Verum ex ipsis encyclicae verbis apparet non eos esse archaeologismi ullo modo insimulandos qui, rerum liturgicarum non ignorantes, arbitrantur plurima in sacris ritus latini caerimoniis, maxime vero in missa sollemni, olim eo modo agi solita fuisse, qui multo aptius quam hodiernus cum rerum veritate et collectiva liturgiae catholicae ratione congruebat, quique existimantes hanc, quamvis sancta sit et divina, extra plenam veritatem ac christifidelium vitam florere non posse, ideo ex animo sperant ventura esse tempora, cum caerimoniae illae, ad antiquiorem suae celebrationis formam, quantum opportunum videbitur, a legitima auctoritate reducentur.

Gravior profecto est illa traiectio, quae depravatus

quidam in rebus liturgicis collectivismus vocari potest. Error hic esse videtur quod, excepta potestate conficiendi et conferendi sacramenta et sacramentalia, munus sacerdotis celebrantis tamquam sibi a communitate delegatum censetur, ita ut communitas media quasi constituatur inter Christum atque Ecclesiam et sacerdotem celebrantem, hic vero non iam communitate superior sed inferior habendus sit. Porro ipsum eucharisticum sacrificium veri nominis concelebratio habendum est, « expeditque potius ut sacerdotes una cum populo adstantes concelebrent, quam ut privatim sacrificium offerant absente populo ». Omne autem sacrificium quod privatim, seu sine adstanti populo, offertur, a prisca sacrificandi forma aberrare aestimandum est; nullum vero vim virtutemque suam sortiri potest, nisi a plebe confirmatur ratumque habetur. Cum denique eucharistia non solum sacrificium sit, sed etiam fraternae communitatis convivium, necessarium omnino est christifideles una cum sacerdote celebranti communionem faciant et haec, communiter acta, quasi totius celebrationis culmen habenda est.

Qualis sit vera doctrina quam encyclica gravibus iis erroribus opponat supra dictum est. In hoc tantum cum veritate concordant, quod demonstrant quantum optandum sit ut fideles, maiore vel minore pro diversis caerimoniis numero, omnes liturgicas celebrationes communiter participent, etiam minus sollemnes, quales sunt pleraeque benedictiones. Id se quoque ardenter cupere Ecclesia ipsa suarum caerimoniarum forma perspicue demonstrat.

Superiori superlationi vicinissima illa est, quae etsi ad magnam quandam sanctamque veritatem, seu commune omnium baptizatorum sacerdotium, pertinet eousque apud quosdam progrediatur audacia, ut asseverent in novo testamento sacerdotii nomine id solummodo venire, quod ad omnes christianos spectet, qui sacri fontis lavacro expiati fuerint. Ipsum igitur populum vera perfrui sacerdotali potestate, sacerdotem vero e delegato dumtaxat a communitate mu-

nere agere. Gravissimae utique affirmationes, quae aegre a dudum condemnatis erroribus distinguuntur. Veritas e contrario haec est, sacerdotem idcirco tantum populi vices agere, quia personam gerit Domini nostri Iesu Christi, quatenus membrorum omnium caput est, pro iisdemque semet offert; quamobrem eum ad altare accedere, ut Christi ministrum, Christo inferiorem, sed superiorem populo; populum vero, quippe qui nulla ratione personam divini Redemptoris sustineat, neque conciliator sit inter se ipsum et Deum, nullo modo peculiari sacerdotali iure frui posse.

Denique veram liturgiae dogmaticam significationem adulterant qui celeberrimum, et plerumque perperam prolatum, effatum: Legem credendi lex statuat supplicandi, ita interpretantur, quasi sacra liturgia experimentum quoddam existat veritatum e fide retinendarum; quatenus nempe, si certa quaedam id genus doctrina per sacros liturgiae ritus pietatis ac sanctimoniae fructus dederit, ea ab Ecclesia comprobanda sit, si vero secus, reprobanda. Re enim vera liturgia catholicam fidem absolute suaque ipsius vi neque designat neque constituit, sed, ut supra dictum est, argumenta tantum ac testimonia suppeditare potest ad determinatum quoddam doctrinae caput decernendum.

Non superlatio, sed mera culpa iudicanda est temeraria illorum audacia qui sua ipsorum auctoritate, novas liturgicas consuetudines deliberato consilio invehunt, vel obsoletos iam ritus instaurant, qui cum vigentibus legibus ac rubricis non concordent; qui eo modo in celebrando sacrificio eucharistico lingua vernacula utuntur, festa transferunt, e libris ritualibus scripta antiqui testamenti excludunt. Quod autem ad linguam vernaculam attinet, quamquam eius usurpatio valde utilis apud populum exsistere potest, nihilominus unius Apostolicae Sedis est idem concedere, prorsusque nihil, ea inconsulta vel non approbante, hoc in genere fieri fas est.

Alii errores minores sunt vel minus sacram liturgiam afficiunt.

Duo potissimum, nos catholicae liturgiae fautores, meditatione encyclicae discamus oportet: primum ne inter se confundamus veras necessitates vitae liturgicae fidelium, et postulata, plus minusve arbitraria, peculiarium nostrarum opinionum ac systematum; deinde, et quidem maxime, ut in universa actione nostra liturgica, sicut in qualibet alia opera, omnia, secundum apostolicum praeceptum, recapitulemus in Christo, uno mediatore Dei et hominum.

IOANNES MICHAEL HANSSENS, S. I.

INDEX

Litterarum Encyclicarum
"Mediator Dei et hominum" *

INTRODUCTIO
(pp. 231-235)

PARS PRIMA
(pp. 236-259)

LITURGIAE INDOLES, ORTUS, PROGRESSUS

I - Liturgia est cultus publicus
(pp. 236-241)

* Hic index desumptus est ex Comment. Officiali « Acta Apostolicae Sedis » XXXIX, 536. Numeri referunt paginam ephemeridis « Periodica » v. 36.

II - LITURGIA EST CULTUS EXTERNUS ET INTERNUS
(pp. 241-248)

III - LITURGIA EST PRAE CETERIS RES ECCLESIAE HIERARCHICAE
(pp. 249-252)

IV - LITURGIAE PROGRESSUS ET INCREMENTUM
(pp. 253-255)

V - Progressus permitti nequit privato arbitrio nec unica norma est antiquitas

(pp. 255-259)

PARS ALTERA

(pp. 259-285)

CULTUS EUCHARISTICUS

I - Natura Sacrificii Eucharistici

(pp. 259-264)

II - FIDELIUM PARTICIPATIO IN OBLATIONE SACR. EUCH. (pp. 264-275)

III - SACRA COMMUNIO (pp. 275-282)

IV - Cultus adorationis Eucharisticus
(pp. 282-285)

PARS TERTIA
(pp. 285-297)

DIVINUM OFFICIUM ET ANNUS LITURGICUS

I - Divinum officium
(pp. 285-290)

II - Cyclus Mysteriorum
(pp. 290-295)

III - Cyclus Sanctorum
(pp. 295-297)

PARS QUARTA
(pp. 297-309)

MONITA PRACTICA PASTORALIA

I - Non negligenda exercitia pietatis
(pp. 297-301)

II - Fovendus spiritus et apostolatus liturgicus
(pp. 302-308)

EPILOGUS

(pp. 308-309)

HEBDOMADA THEOLOGICA

habebitur in Pontificia Universitate Gregoriana diebus 20-25 septembris pro Sacerdotibus, praesertim theologiae professoribus Italiae, in qua sequentia tractabuntur argumenta:

- De methodo theologica - P. T. Zapelena S. I.
- De immutabilitate dogmatum et doctrinae progressu - P. M. Cordovani O. P.
- De evolutionismo anthropologico et de monogenismo quid doceant scientiae naturales - P. V. Marcozzi S. I.
- De origine corporis humani quid exigant philosophia christiana et sacra theologia - P. M. Flick S. I.
- De unitate generis humani secundum fontes revelationis - P. H. Lennerz S. I.
- De gratuitate ordinis supernaturalis ad quem homo est elevatus - P. V. De Broglie S. I.
- De relatione inter ordinem supernaturalem et ordinem moralem - P. C. Boyer S. I.
- De persona Adae et de peccato originali originante secundum Genesim - P. F. Asensio S. I.
- De persona Adae et de peccato originali originante secundum S. Paulum - P. B. Mariani O. F. M.
- De exsistentia et natura peccati originalis originati - R. D. P. Parente.

Praeterea lectiones erunt informativae:

- De definibilitate Assumptionis B. M. V. - P. J. Filograssi S. I.
- De conatibus « oecumenisticis » dissidentium ab Ecclesia - P. C. Boyer S. I.
- De hodiernis problematibus ethicae matrimonialis - P. F. Hürth S. I.
- De nova constitutione italica comparata cum legislatione ecclesiastica - P. F. Cappello S. I.
- De novis fossionibus sub basilica S. Petri (*cum proiection.*) - P. E. Kirschbaum S. I.

Lectiones erunt latine vel italice; post singulas lectiones discussio erit de argumentis tractatis. Respondebitur etiam interrogationibus theologicis quae ante initium hebdomadae delatae fuerint et diversae sectiones pro diversis disciplinis institui poterunt.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

SACRAMENTA ACATHOLICIS NONNISI CONDICIONATE CONFERENDA

S. Officium die 17 Maii 1916 in Responso variis locorum Ordinariis dato ad quaestionem, an Absolutio et Extrema Unctio conferri possint schismaticis in mortis articulo sensibus destitutis, qui proinde, durante hoc statu, etsi vellent, exprimere animum internum, quo errores suos reiciunt et Ecclesiae reconciliari cupiunt, non valent, declaravit: « Sub condicione, affirmative, praesertim si ex adiunctis conicere liceat, eos implicite saltem errores suos reicere, remoto tamen efficaciter scandalo, manifestando scil. adstantibus, Ecclesiam supponere, eos in ultimo ad unitatem rediisse » (Denzinger n. 2181a). Similiter idem S. Officium die 1. Nov. 1941 de eadem re agens dixit: « Iis autem, qui bona fide errant et iam sensibus sunt destituti, ea sacramenta conferri possunt *sub condicione*, praesertim si conicere liceat, eos implicite saltem errores reiecisse » (Il Monitore ecclesiastico 1942, pag 114-115. Foglio diocesano, Trento 1942, pag. 118).

Inquirendum est, *quaenam* sit illa *condicio* e mente S. Officii in memoratis circumstantiis sacramentorum confectioni adicienda, utrum scil. « si capax es », an « si saltem interne ad unitatem Ecclesiae rediisti » (seu, quod idem est, « si saltem interne et implicite errores tuos reiecisti » vel « si vis in Ecclesia catholica mori »). Prior illa condicio « si capax es » ideo arridere posset, quia secun-

dum theologorum placitum sacramentorum confectioni condicio aliqua subiectum attinens tunc tantum adicienda est, si dubitatur an subiectum possit sacramentum respectivum *valide* suscipere, seu tunc tantum, si dubitatur de subiecti *capacitate,* nunquam vero, si dubitatur de sola sacramenti *fructuositate* seu de subiecti *dispositione* debita: si enim de sola fructuositate dubitatur, huiusmodi subiecto sacramenta sunt aut neganda aut (in casu necessitatis) absolute conferenda ob spem reviviscentiae pro casu, quo subiectum nunc indispositum post sacramenti susceptionem sibi sit procuraturum debitam dispositionem; quae spes non adest, si additur condicio « si es dispositus », quia in casu indispositionis praesentis sacramentum invalide suscipitur, adeo ut nullum in subiecto oriatur titulus, vi cuius sacramentum postea reviviscere possit.

S. Officium, consulto (ut supponendum est) nulla facta distinctione inter illos moribundos, qui antequam usum sensuum amittebant sacramenta a sacerdote catholico *petierunt,* et illos, qui id non fecerunt, universe dicit, « schismaticis in mortis articulo sensibus destitutis » sacramenta esse conferenda « sub condicione ». Si S. Officium de illis tantum loqueretur, qui, antequam usu sensuum privati sunt, sacramenta a ministro catholico *non petierunt,* dici posset, condicionem adiciendam esse « si capax es »: etenim in hoc casu dubitari posset vel deberet de subiecti intentione sacramenta suscipiendi de manu sacerdotis *catholici* adeoque dubia esset eius intentio et proinde eius capacitas. Nunc autem S. Officium dictam distinctionem consulto non facit, ergo nec nobis eam facere licet, sed dicemus aliquam condicionem esse addendam etiam in illo casu, quo schismaticus, antequam sensibus destituebatur, sacramenta a sacerdote catholico expresse (mediante nuntio) petiit, qui ergo certo habet debitam intentionem, ergo capacitatem. Iamvero, si de subiecti capacitate nullum habetur dubium, condicio « si capax es » non est ad-

hibenda, ut patet. Ergo ad quaestionem nostram e mente S. Officii respondendum est ita: Condicio, sub qua schismatico moribundo capaci sacramenta conferenda videntur, est « si vis in Ecclesia catholica mori », vel « si saltem interne errores tuos reiecisti », vel aequivalens.

Iamvero, si haec condicio addenda est intentioni ministri, quando schismaticis confert sacramenta Absolutionis et Extremae Unctionis, idem a pari valet de reliquis sacramentis schismaticis forte conferendis, et a fortiori si sacramenta conferenda aliquando videantur haereticis bona fide errantibus.

Haec ergo censenda est mens S. Officii. Indagandum nunc est in *rationes internas*, ob quas S. Congregatio postulat additionem condicionis « si errores tuos reiecisti » vel « si vis in Ecclesia catholica mori » vel aequivalentis.

Prima ratio interna est *obligatio evitandi illicitam cooperationem* cum peccato acatholici, qui suscipiendo sacramentum *usurpat sibi ius, quo omnino caret, quamdiu est et esse vult acatholicus.* Quanquam Christus sacramenta ita instituit, ut eorum valor per se non pendeat a fide sive conficientis sive suscipientis, *ius* tamen eadem conficiendi vel suscipiendi uni et soli suae, i. e. catholicae, contulit Ecclesiae, idque maxime ideo, quia sacramenta sunt praecipua media, quibus Ecclesia Christi fundatur, conservatur, propagatur. Atqui impossibile cogitatu est, Christum contulisse etiam heterodoxis, qui ab Ecclesia Christi seiuncti sunt eamque oppugnare solent, *ius* adhibendi media, quibus praecipue de facto (utpote de se validis) eorundem sectae fundantur, conservantur, propagantur. Tolle v. g. iis Baptismum et concedent haeretici et schismatici sese cessare habere asseclas. Tolle ipsis vel saltem schismaticis s. Ordinem, et cessabunt habere suam hierarchiam etc. Ergo heterodoxi certe carent iure utendi potestate, quam habent, valide conficiendi et suscipiendi sacramenta.

Haec iuris privatio enuntiatur can. 87: « Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omni-

bus christianorum *iuribus* et officiis, nisi, ad *iura* quod attinet, obstet obex ecclesiasticae communionis vinculum impediens »: talis obex est imprimis haeresis vel schisma, et ius praecipuum, quo baptizati per se gaudent, est ius recipiendi sacramenta.

Notare iuvat, persuasionem acatholicos carere iure sacramenta conficiendi et suscipiendi latuisse in errore S. Cypriani eiusque in lite de rebaptismate asseclarum, qui, neglecta distinctione inter potestatem sacramenta valide conficiendi et suscipiendi et iure hac potestate utendi, etiam ipsam potestatem negaverunt.

Hinc heterodoxi in sacramentis conficiendis et suscipiendis usurpant ius alienum, videl. Ecclesiae, ideoque obiective graviter peccant et indigne tractando sacramenta committunt (saltem materialiter) sacrilegia. At etiam minister catholicus conferendo acatholicis sacramenta peccat graviter et committit sacrilegia, quatenus cum heterodoxorum peccatis sacrilegii *cooperatur* idque non mere passive se habendo, sed active et causaliter cooperando.

Haec caritatis et religionis laesio eo solummodo evitatur, si sacramenta aut negantur aut sub condicione « si es catholicus » vel aequivalente conficiuntur.

Distinguendum est inter ius conferendi *Baptismum* et ius quoad *cetera sacramenta*. Baptismum iure confert, qui alium per hoc sacramentum vult aggregare Ecclesiae catholicae, Baptismum iure suscipit, qui per eum vult Ecclesiae incorporari; cetera sacramenta illi tantum iure conferunt vel suscipiunt, qui iam sunt in Ecclesia.

Altera ratio interna, cur S. Officium mandat, ut sacramenta moribundis schismaticis conferantur condicionate, indicatur inscriptione, qua Responsum S. Officii diei 15. Nov. 1941 affertur in Foglio diocesano, Trento 1942, p. 118, videl. « *De communicatione in sacris* cum schismaticis (praesertim moribundis) ». Revera quotiescunque acatholico a ministro catholico confertur sacramentum, inevitabiliter committitur illicita in sacris communicatio, non qui-

dem illa, de qua in can. 1258 § 1, sed illa, quae prohibetur can. 731 § 2. Heterodoxus ille, qui non vult ese catholicus, sacramenta suscipit ad mentem suae sectae, i. e. ut sunt signa illius fidei, quam haec secta profitetur. Unde qui ei sacramentum quodcumque confert, eum (saltem obiective, materialiter) iuvat in professione erroris fidei catholicae oppositi, idque non passive et occasionaliter tantum, sed positive et causaliter. Haec autem cooperatio est sine dubio communicatio vetita in sacris, secum ferens obiectivam malitiam sacrilegii.

Haec in divinis illicita communicatio eo solum evitatur, si sacramenta heterodoxis aut non conferuntur, aut condicionate administrantur, addita, ad mentem S. Officii, condicione « si es catholicus » vel alia aequivalente.

Tertia interna ratio petitur ex indole symbolica, qua sacramenta ex ipsius Christi institutione significant *unitatem in fide inter sacramenti ministrum et subiectum* (Cf. J. B. Umberg S. J., Quo iure haereticis et schismaticis sacramenta sint neganda: Periodica 18 (1929) 97 - 122). Quotiescunque ergo minister catholicus subiecto acatholico tradit sacramentum, obiective, vi ipsius administrationis, dicit subiecto: « Nos habemus eandem fidem ». Hoc autem in casu omnino falsum est; ergo committitur reale mendacium idque graviter malum ob gravem irreverentiam sacramento et mediate ipsi Domino illatam. Si vero minister etiam subiective unionem in fide affirmare intendit, mentitur asserendo: « Tu meam habes fidem catholicam », aut, quod peius est et negationem fidei implicat: « Ego habeo tuam fidem heterodoxam ».

Ut novum hoc sacrilegium evitetur, nihil restat, nisi ut sacramenta heterodoxis aut negentur aut conferantur cum condicione: « si es catholicus » vel saltem « si vis esse catholicus ».

Quarta ratio cur tenendum sit acatholicis sacramenta nonnisi sub condicione administrari posse, indicatur a S. Officio dicente: « Remoto tamen efficaciter *scandalo* »

(Denzinger n. 2181a), et: « Semper autem curandum est, ut scandalum et *vel suspicio interconfessionalismi* evitentur » (15. Nov. 1941). Certe scandalum et « vel species interconfessionalismi » evitatur, si minister, qui moribundo confert aut contulit sacramenta, manifestat « adstantibus, Ecclesiam supponere, eum in ultimo ad unitatem rediisse » (Denzinger ibid.). At efficaciter etiam evitatur scandalum et species interconfessionalismi, si minister adstantibus affirmat et affirmare potest: « Sacramenta huic moribundo confero (resp. contuli), si est catholicus », vel « si vult (resp. voluit) in Ecclesia catholica mori »; quodsi haec condicio non est (resp. non fuit) impleta, mea actio non erat sacramentum ».

Nota 1. Moveri potest quaestio, an illi haeretici et schismatici, qui bona sunt fide in sua religione ex hac causa, quia sive ex defectu instructionis, sive ex aetatis vel mentis imbecillitate suae religionis differentiam a catholica non noverunt, considerandi et tractandi sint tanquam haeretici vel schismatici, an ergo necessario accensendi sint illis baptizatis, qui iure recipiendi sacramenta privati sint et ad sacramenta nostra admitti non possint: haec quaestio solutionem exspectat per auctoritatem S. Sedis.

Nota 2. Condicio « si es catholicus » vel « si vis esse catholicus » vel « si vis in Ecclesia catholica mori » unica voce ita semper exprimi potest: « Si es *subiectum legitimum* ». Etenim cuiuslibet sacramenti subiectum « legitimum » potest ille dici, qui habet ius, etsi non postulandi, tamen suscipiendi sacramenta, dum subiectum « illegitimum » ille dici potest, qui hoc iure caret (Cf. J. B. Umberg S. J., Systema Sacramentarium n. 114-116; Noldin, De sacramentis n. 9). Concilium Tridentinum sess. 23, can. 7 de sacramento Ordinis negat eos esse sacramentorum ministros « legitimos », qui sacramenta conferendi carent iure. Ex eadem ratione etiam subiectum carens iure sacramenta suscipiendi, apte vocatur « illegitimum.

I. B. Umberg S. I.

NOMEN DANTES COMMUNISMO

Utrum censuras incurrant necne nomen dantes communismo, vexata quaestio est inter auctores disputata.

Duobus canonibus plecti possent nomen dantes communismo, sc. c. 2314 contra apostatas lato et c. 2335 contra inscriptos sectis damnatis. Circa priorem dissensus auctorum non est tam gravis et solutio breviter dabitur; circa alterum maior sententiarum varietas maiorem postulabit tractationem.

I. Communistae suntne apostatae?

Ut incurratur excommunicatio c. 2314, § 1, 1° requiritur ut aliquis peccato formaliter gravi et externo, etsi non publico, apostasiam amplectatur. Ad rem optime cl. a Coronata: « Ut delictum apostasiae committatur requiritur ut recessus a fide christiana *deliberate et voluntarie fiat interne seu animo,* et insuper talis animus externe manifestetur » [1].

Diffitendum non est singulos quosdam ex adscriptis factioni communisticae, eosque forsan plures, huius formalis et externae apostasiae reos esse. Quot enim audivimus vel legimus publice Deum omnemque religionem contemnere et respuere! Ultro etiam concedendum est eos apostatas esse qui eius generisingrediantur associationes ex communismo profectas quae pro fine directo et immediato habeant integram amplecti et propagare communismi doctrinam cum suo pleno materialismo.

Verum *sola et nuda inscriptio* factioni communisticae, praesertim quando nomen datur unice quia illa est

---

[1] a Coronata IV², 1856

vel reputatur merus coetus politicus favens operariis, *nullam* per se *apostasiam continet;* immo saepe haec expresse reicitur et fides affirmatur.

Difficultas enasci posset ex 3° in eadem paragrapho et canone, coniuncto cum declaratione Pont. Commissionis ad Codicis canones interpretandos, diei 30 Iulii 1934, quae sic sonat: « An ... qui *sectae atheisticae* adscripti sunt vel fuerunt, habendi sint quoad omnes iuris effectus ... ad instar eorum qui sectae acatholicae adhaerent vel adhaeserunt? Resp. *Affirmative* »[2]. Si enim concedatur factionem communisticam esse illam sectam atheisticam de qua Commissio, infamia iuris punientur, ex eorum numero qui nomen dant, non solum qui *formaliter* erroribus communisticis adhaerent, quos supra diximus incurrere etiam in excommunicationem, verum illi quoque qui mere *materialiter* nomen dant, corde abhorrentes a talibus erroribus. Adhaesio enim externa sectae damnatae de qua in 3° huius canonis, constituit praesumptionem in foro externo, de facto extitisse apostasiam etiam in foro interno. « ... inscriptio in albo sectae », ait a Coronata[3] « etiamsi fiat solum apparenter, sine animo haeretico, dummodo publice fiat, delictum constituit hoc canone prohibitum ».

Iamvero hic est omnino distinguendum: Vel enim agitur de aliqua associatione communistica quae expresse pro fine habeat profitendum et propagandum atheismum: haec procul dubio definienda est secta atheistica; ei nomen dantes ipso facto infamia iuris plectuntur. Huiusmodi sunt sic dictae « *Ligae Atheorum* » vel uniones similes, ut puta « Union internationale des Libres-Penseurs »[4]; nullum dubium quin has, priores praesertim, prae mente habuerit Commissio[5].

---

[2] AAS. XXVI (1934) 494.

[3] a CORONATA IV[2], 1863.

[4] *Nouv. Rev. Théol.* LXI (1934) 1069 ss. recensebat 17 associationes quae « sectae atheisticae » definiri poterant.

[5] Sic etiam Jombart in *Nouv. Rev. Théol.* LXI (1934) 1077.

Vel e contra agitur de *factione communistica qua tali*: haec per se dicenda non est « secta atheistica », ad effectus canonicos [6]. Nam ista factio non est *secta religiosa*, sc. quae directe et immediate, ex interna sua constitutione et organizatione, pro fine habeat, saltem principaliori modo activitatem religiosam, sive pro sive contra; in casu nostro, apostasiam seu atheismum promovere [7]. Tales enim sectas plectere intendit Codex. Hinc iam antecedenter ad hoc responsum auctores pacifice tenebant non includi anarchistas, socialistas et massones, licet forte in harum sectarum programmate fides catholica impugnetur [8]. Ceterum aperte et publice declaratum est, in pluribus saltem nationibus, ab asseclis nullimode peti repudiationem propriae fidei. Esto id fiat ad alliciendos socios ut postea corrumpantur lenta sed continua suggestione pravorum principiorum; dici tamen nequit in iure plecti ut sectam atheisticam aliquam associationem quae non postulat atheismi professionem, immo tolerat apertam religionis professionem, quam de facto eius plurimi asseclae palam et libere profitentur.

Cum simus ergo in odiosis, quae ex c. 19 subsunt strictae interpretationi, cum ex altera parte obiectum proprium declarationis Pontificiae Commissionis Interpretationis appareant esse « Ligae Atheorum »,; debemus *excludere* a poenis c. 2314 *simplices adscriptos* factioni communisticae.

---

[6] *Per se* dicimus, sc. praescindimus a particularibus se gerendi modis quos in aliqua natione posset assumere factio communistica.

[7] In hunc sensum etiam Maroto in *Commentarium pro Religiosis* XV (1934) 337 ss. qui exigit, ut habeatur secta atheistica, ut « atheismum habeant tamquam peculiarem, primarium et proprium suum finem et veluti caput praecipuum et fundamentum sui systematis doctrinalis ».

[8] VERM.-CREUSEN, III[4], 513 quamvis alia ratione; a CORONATA, IV[2], 1863, n. 6.

II. Communismus estne secta damnata sub censura?

Maior difficultas exsurgit ex c. 2335 in quo declarantur incurrere excommunicationem « nomen dantes sectae massonicae aliisve *eiusdem generis* associationibus quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles auctoritates machinantur ».

Aliqui auctores, iique non spernendi, autumantes sectam massonicam aliasve eiusdem generis associationes damnari *unice* ratione *finis intenti* sc. machinandi contra Ecclesiam vel Statum; videntes hanc machinationem de facto fieri in associationibus communisticis, logice concludunt nomen dantes factioni communisticae plecti hac censura [9].

Cum aliis non paucis ostendemus sectas, de quibus in hoc canone, damnari non unice ratione finis sed etiam *ratione clandestinitatis*. Inquiremus dein utrum ista clandestinitas adsit in factione communistica. Dabimus tandem nostram conclusionem negativam.

III. Praeter machinationem requiritur clandestinitas

Cum agatur de canone qui ius vetus ex integro refert, probamus, sec. c. 6, 2°, ex documentis Ecclesiae quae in ipso Codice afferuntur tamquam fontes.

Prima Ecclesiae documenta unice respiciunt Massoneriam et tamquam elementum essentiale proponitur clandestinitas. Sic Clemens XII: « quaeque simul clam operantur, tum districto iureiurando... tum gravium poenarum exaggeratione *inviolabili silentio obtegere* adstringuntur » [10].

---

[9] a Coronata IV², 1949; Wernz-Vidal VII, 448, B, c; Cappello De censuris³, 298; Marc-Gestermann-Raus I¹⁸, 1330; Baller.-Palm. VII, 451; Gén.-Sals. II¹⁵, 594, quamvis agnoscat sectam « aliquo modo secretam » esse oportere; Sipos Enchiridion Iuris Canonici⁴, § 79, 1, a.

[10] Clem. XII, litt. ap. In eminenti, 28 Apr. 1738; Fontes (Gasparri) I, 229, § 1.

Etiam Benedictus XIV dum renovat damnationem et poenas a praedecessore latas, has affert rationes quae clandestinitatem confirmant: « *arctum et impervium secreti foedus* quo occultantur ea quae in huiusmodi conventiculis fiant ... iusiurandum quo se huiusmodi *secreto inviolabiliter servando* adstringunt »[11].

Pius VII invenit plures sectas, non iam unam massoneriam; sive quia haec alias affines societates creaverat, sive quia novae exortae erant. Omnes tamen notam prae se ferunt clandestinitatis: « eorum plerique *occultos coetus* clandestinasque sectas coëgerunt... pollicentur se nullo unquam tempore nullove casu ... patefacturos ... quidquam quod eam societatem respiciat ...; *clandestina* illa praeterea et illegitima conventicula ... »[12].

Paucos post annos Leo XII loquitur in genere de « *sectis clandestinis* », de « *societatibus occultis* » in quibus « mysteriis initiari » necesse sit et concludit damnans « *societates occultas* omnes tam quae nunc sunt tam quae fortasse deinceps erumpent *et* quae ea sibi adversus Ecclesiam et supremas civiles potestates proponunt... »[13].

Ubi velim adnotes illa copula *et* clarissime ostendi duo elementa causam esse huius damnationis: quia occulta sunt et quia machinantur.

Primum documentum S. Officii de hac re ita supponit clandestinitatem ut illam affirmet iuramento firmari[14]. Secundum documentum S. O. continet illam adverbialem locutionem « *huius generis* » quae postea leviter immutata in Codicem transibit; simul tamen explicat valorem talis formulae, quasi sit: huius generis in clandestinitate. En tex-

---

11 Bened. XIV, const. Providas 18 Maii 1751; Fontes II, 412.

12 Pius VII, const. Ecclesiam, 13 Sept. 1821; Fontes II, 4479, § 1, 4, 5.

13 Leo XII, const. Quo graviora, 13 Mart. 1825; Fontes II, 481, § 7, 8, 10, 11, 14.

14 S. C. S. Off. 27 Iun. 1838; « hominibus liberorum muratorum societati aggregatis qui *iuramenti* de *secreti servandi* vinculis consociati in unum corpus coalescunt ». Fontes IV, 877.

tum integrum: « Serio moneat suos poenitentes ne societati liberorum muratorum aliisque huius generis *clandestinis* aggregationibus nomen dare vel eorum *conventicula* adire aut fovere praesumat » [15].

Successit tandem tertia responsio S. O. quae pluribus causa fuit dubitandi: « Proposito dubio quaenam sint societates damnatae in pontificiis constitutionibus, responsum fuit: *Societates occultae* de quibus in pontificiis constitutionibus sermo est, eae omnes intelliguntur quae adversus Ecclesiam sibi aliquid proponunt, exigant vel non exigant a suis asseclis iuramentum de secreto servando » [16].

Aliqui concluserunt: ergo damnatae erunt unice ratione finis societates quae aliquid in Ecclesiam machinentur, nulla habita ratione clandestinitatis [17]. Haec conclusio non videtur admittenda. 1° Quia in responsione negatur requiri *iuramentum* de secreto servando; non negatur, immo potius supponitur aliquod adesse *secretum* servandum. 2° Si nulla ratio clandestinitatis inesset in istis sectis, cur dicitur: « Societates *occultae* intelliguntur...? ». Nisi fallimur, mens responsionis haec est: Interroganti quaenam ex societatibus occultis sint damnatae sub censura, utrum omnes, eo ipso quod sunt occultae, vel aliquae tantum, respondetur illas tantum ex societatibus occultis damnari sub censura quae de facto aliquid contra Ecclesiam sibi proponant. Duo ergo requiruntur: et clandestinitas qua societas occulta dici possit, et machinatio contra Ecclesiam. 3° Documenta posteriora nostram hanc interpretationem confirmare videntur.

Sic ipsum S. O. in longa epistola diei 1 Aug. 1855 [18]

---

[15] S. C. S. Off. 2 Iul. 1845; Fontes IV, 896.

[16] S. C. S. Off. 5 Aug. 1846; Fontes IV, 899.

[17] a Coronata IV[2], 1948: « licet autem in antiquioribus constitutionibus pontificiis secretum servandum ut quid substantiale sectae massonicae consideretur, inde tamen ab anno 1846 secretum non amplius attenditur a S. Sede ad videndum utrum aliqua secta sit damnata ».

[18] S. C. S. Off. 1 Aug. 1855; Fontes IV, 932.

in qua omnia documenta antecedentia circa hanc materiam referuntur, semper omnes sectas cumulat sub generica dictione « *clandestinae aggregationes* » « *clandestinae societates* ». Nec mirum, cum ab ipso Pontifice Pio IX post illam responsionem scribente, eodem modo eae definitae fuerint « *clandestinae* illae *sectae* e tenebris ... emersae »[19] « *tenebricosissimae* aeque ac perniciosissimae societates »[20].

Fuerunt equidem qui dixerint has sectas ex eo quod a Gubernio vel agnoscerentur vel saltem tolerarentur, iam amittere suam essentialem caracteristicam notam clandestinitatis ideoque censuris non puniri. Noluit hoc admittere Pius IX, dumque hoc improbat, simul repetit Constitutiones pontificias *occultas* sectas respicere: « Quod si qui in hac opinione versantur Apostolicas constitutiones contra *occultas sectas* ... nullam habere vim iis in regionibus ubi a civili potestate memoratae sectae tolerantur; ii certe vehementer errant ... Quae cum ita sint ... memoratas ... constitutiones confirmantes, massonicam illam aliasque eiusdem generis societates quae specie tenus diversae in dies coalescunt, quaeque contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinentur ... reprobamus ... sub iisdem poenis »[21].

Habemus in hoc documento omnia elementa et eadem fere verba quae postea in Codice invenientur. Postquam autem legerimus in eadem Constitutione tam frequenter dictum « in *clandestinis* iis coetibus » « *clandestinas* societates » « *clandestina* conventicula » « impia certe quidem ac nefaria ea societas sit oportet quae *diem lucemque* tantopere *reformidat* », dubitare non possumus quin *unum* saltem *elementum essentiale* pro hac damnatione con-

---

19 Pius IX, Encycl. Qui pluribus, 9 Nov. 1846; Fontes II, 504.

20 Pius IX, alloc. Quibus quantisque, 20 Apr. 1849; Fontes II, 507, 21.

21 Pius IX, alloc. Multiplices inter, 25 Sept. 1865; Fontes II, 544.

sistat in clandestinitate, omnium harum sectarum; proinde illud « *eiusdem generis* » hanc notam clandestinitatis necessario implicite inferre. Ipsa S. Congr. de Propag. Fide mittens ad Orientales omnes decisiones S. Sedis in hac re monensque haec omnia etiam pro illis vim habere, incipit suam Encyclicam his verbis: « *Clandestinas sectas* » [22].

Pervenimus tandem ad Const. Apost. 'Apostolicae Sedis' [23] quae sub brevi formula canonis totam hanc materiam concludit, nullum tamen novum elementum pro nostra inquisitione affert. Clandestinitatem non solum in Massoneria sed et in « aliis eiusdem generis sectis » praesupponi etiam in hoc documento recte colligitur ex eo quod excommunicantur etiam « earum (sectarum) *occultos* coriphaeos ac duces non denunciantes ».

Decisivum pondus pro hac interpretatione affert ipsum S. O. quod in sua responsione diei 2 Iul. 1878 aperit sensum huius « eiusdem generis » inquiens expresse: « ne societati francs maçons aliisque *huius generis clandestinis* aggregationibus nomen dare vel earum conventicula adire ... praesumant » [24].

IV. Mens Leonis XIII

Ultimum magnum documentum Ecclesiae circa sectas est Encycl. '*Humanum genus*' Leonis XIII [25]. Ut verum fatear, quae inibi de Massoneria dicuntur, facinora patrata, pericula praevisa, tam bene aptantur etiam Communismo ut pronum sit concludere etiam poenas pro prima illatas et pro altero valere. Verum si recte inspicias, manet Massoneriae sua peculiaris organizatio — clandestina nempe

---

[22] S. C. de Propag. Fide, 24 Sept. 1867; Fontes VII, 4871

[23] Pius IX, const. ap. Apostolicae sedis, 12 Oct. 1869; Fontes III, 552, § 2, 4.

[24] S. C. S. Off. 2 Iul. 1828; Fontes IV, 1056.

[25] Leo XIII, Encycl. Humanum genus, 20 Apr. 1884; Fontes III, 591.

— et haec nota supponitur etiam in aliis eiusdem generis sectis.

Re quidem vera priora verba — quae sola fere semper invenies apud auctores citata — videntur innuere similitudinem tantum relate ad *finem* machinationis et ad *doctrinam* dirigentem actionem. Dicitur enim: « Variae sunt hominum sectae, quae quamquam nomine, ritu, forma, origine differentes, cum tamen *communione* quadam *propositi* summarumque *sententiarum similitudine* inter se contineantur, re congruunt cum secta massonum... »[26].

At Encycl. prosequitur alias signans notas specificas harum sectarum. Nisi ergo etiam ista legantur, — quae tamen apud auctores fere numquam inveniuntur — integram Pontificis mentem assequi non erit possibile. Iamvero, sic prosequitur Pontifex: « Quae quamvis nunc nolle admodum videantur latere in tenebris ... nihilominus tamen, re penitus perspecta, *genus societatum clandestinarum* moremque retinent ».

Hanc autem genericam affirmationem sic probat:

1º « Plura quippe in iis sunt *arcanis similia* quae non externos solum sed etiam gregales bene multos exquisitissima diligentia celari lex est: cuiusmodi sunt intima atque ultima consilia, summi factionum principes, occulta quaedam et intestina conventicula .... ».

2º « Initiales spondere immo praecipuo sacramento iurare ut plurimum iubentur, *nemini se* ullo unquam tempore ullove modo, *socios, notas, doctrinas indicaturos* ».

3º « Praeterea qui cooptati sunt promittant ac recipiant necesse est ducibus ac magistris se dicto audientes futuros cum obsequio fideque maxima; ad *quemlibet eorum nutum* significationemque *paratos* imperata facturos...»

Et concludit immortalis Pontifex: « Atqui *simulare et velle in occulto latere*: obligare sibi homines tamquam

---

26 Leo XIII, Encycl. Humanum genus 20 April. 1884; Fontes III, 591, 7.

mancipia, tenacissimo nexu nec satis declarata causa... immanitas quaedam est quam rerum natura non patitur ».

Quae omnia, uti patet, non tantum de Massoneria dicuntur sed etiam de illis « variis sectis » quae « re congruunt » (cum Codice dixeris « eiusdem generis sunt ») cum Massoneria.

Manet ergo clandestinitas nota peculiaris sectarum damnatarum [27]. Quod innuitur a S. O. quando in memoriam revocat anno 1886 [28] adhuc vigere obligationem denunciandi « *occultos* coriphaeos ».

Nulla alia documenta subsecuta sunt quae rem nostram mutarent [29].

His omnibus praeiactis, attento c. 6,2° « Canones qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate... sunt aestimandi » nullum nobis dubium restat quin illae « *eiusdem generis* » *associationes* de quibus in c. 2335 ut cadant sub censura praeter notam machinationis contra Ecclesiam vel Statum, *insigniri debeant etiam nota clandestinitatis.*

---

[27] S. C. S. Off. in instructione 10 Maii 1884, hanc Encyclicam commentata est et ut in praxim deduceretur praecepto ursit, consilio adiuvit. Fontes IV, 1085. Nescimus vero cur cl. MARC-GESTERMANN-RAUS I[18], 1330 haec habeant: « ...S. Off. in decr. 10 Maii 1884 declarat: tesseram nempe societatis sub censura prohibitae *praeprimis* (ipsi sublineant) in publica machinatione contra Ecclesiam vel gubernium consistere ». Nulla enim in hac instruc. (non est decretum) habetur huius generis declaratio, sed, facta distinctione inter sectas mere prohibitas et sectas censurae obnoxias, has ultimas recenset sub iisdem verbis const. apost. Apostolicae Sedis, nihil immutando.

[28] S. C. S. Off. 19 Maii 1886; Fontes IV, 1100.

[29] CAPPELLO De censuris[3], 298, 7, 4° praefert sententiam negantem requiri clandestinitatem « attentis praesertim decretis S. Off. 9 Aug. 1893, 20 Aug. 1894, 17 Aug. 1899... » Verum, si quid sapimus, in praefatis documentis (excepto ultimo quod invenire non potuimus) nihil habetur quod in illam sententiam inducere possit. Nam in priore, S. Off. noluit declarare societatem aliquam cadere sub censuram, unice affirmans « deterrendos esse fideles a dando nomine »; in posteriore tres societates americanas illicitas declaravit, nihil tamen dicens de censura. Fontes IV, 1167; 1171.

V. Communistica factio estne secta clandestina?

Quaerendum ergo nobis restat utrum factio communistica sit secta clandestina necne. Distinguendum nobis videtur.

Factio communistica (il *Partito* comunista) cui simpliciter nomen dat massa operariorum, nobis *non videtur esse secta clandestina.* Omnia enim clara et aperta sunt. Publici duces, publica comitia, publici socii omnes, publicum programma; nulla lex secreti viget inter adscriptos; adscriptio ipsa patet omnibus qui velint. Verum quidem est ultima et intima consilia ducum non clare manifestari; saepe quae publicantur apparentia tantum esse, ad fucum faciendum. Hoc autem non sufficit ad reddendam *ipsam societatem* clandestinam. Dicendum potius est esse societatem publicam in qua quidam abutuntur munere suo suave auctoritate.

At in ipsa factione communistica sunt parvi et secreti coetus, selectae copiae — « *cellulae* » vocantur — magis arcte inter se coniuncti, aliisque qua tales saepe ignoti; lege secreti tenentur non manifestandi socios; pendent a ducibus sibi occultis vel non satis notis; quae iubentur facere discussioni subicere nefas est, revelare proditorium. Hos clandestina organizatione ligari, nostro iudicio, nemo diffitebitur, veramque constituere *clandestinam sectam.* Obiciet quis has cellulas non veram et propriam constituere societatem, quia singulae donantur vita propria et independenti et potius agunt ut fermentum in massa communistarum. Verum, uti videtur, coetus illi minores non sunt independentes sed in unam societatem sub ducibus supremis coadunantur.

Idemque affirmandum putamus de quibusdam associationibus a communismo dependentibus, quando his supradictis notis insigniuntur, etsi fucato nomine vel fine culturali proposito se obtegere conentur. Ceterum hac in re

certum quid proferre non est facile, cum quidquam certum sincerumque ab ipsis vix manifestetur. Singuli ergo casus ponderandi erunt.

VI. Suntne communistae damnati sub censura?

Si quaeras nunc utrum factio communistica machinetur contra Ecclesiam vel Statum, possemus quaestionem transmittere. Cum enim ei desit clandestinitas, etiamsi concederetur machinari, poenas non incurreret. Ceterum difficile negabis hanc machinationem ex parte ipsius factionis qua talis, (simplices enim adscripti saepe in bona fide versantur et nihil mali directe agunt), tum de facto — quod lugenda experientia commonstrat, sive rerum potiti sunt sive non; — tum de iure, quia nempe integrum suum programma in praxim deducere nequeunt quin Ecclesiae vel Status iura conculcent.

Sit ergo tandem *conclusio nostra*[30] *generalis*: Nomen simpliciter dantes factioni communisticae *non incurrunt poenas a c.* 2335 *statutas,* saltem ex defectu clandestinitatis in hac factione. Has poenas e contra non effugere *videntur* activistae illi qui in cellulis aggregantur et revera sectam clandestinam constituunt contra Ecclesiam vel Statum machinantem.

Confirmari potest haec nostra conclusio:

1° Ex ipso textu Codicis. Nisi enim illa verba « eiusdem generis » indicent similitudinem in natura societatis, seu clandestinitatem, prorsus *supervacanea forent.* Sim-

---

[30] Fulcitur tamen auctoritate horum saltem auctorum: Noldin-Schönegger De censuris[31], 74, 2; Lehmkuhl II[11], 1225 a priore sententia severiore recedentis; Aertnys-Damen II[11], 1057; Piscetta-Gennaro IV, 401; Iorio, II[6], 489; Verm.-Creusen, III[4], 535; Claeys-Simenon III[4], 191, 8°; Chelodi De delictis et poenis[5], 71; Liuzzi De delictis contra auctoritates ecclesiasticas Romae 1942, c. VIII, 4, b; Cerato Censurae[2], 55, e; Vermeersch De prohibitione et censura librorum[4], 82, 83.

pliciter poni debuit: Nomen dantes sectae massonicae aliisve associationibus quae ... machinantur ... [31].

2° In conclusione nostra diximus « saltem ex defectu clandestinitatis ». Sunt enim aliqui qui praeterea non improbabiliter alium defectum notant; sc. *non agi* de *vera* et stricte dicta *societate,* in qua « arcto foedere socii uniantur » [32] sub aliqua hierarchia quae auctoritatem suam fortiter exerceat. Hoc videntur exigere etiam plura ex documentis pontificiis quae supra rettulimus, a Clemente XII dicente: « arcto aeque ac impervio foedere ... consociantur » [33] usque ad Leonem XIII secundum quem est in his sectis « rata hominum graduumque distinctio, et illa, qua reguntur, severitas disciplinae », « obligare sibi homines tamquam mancipia tenacissimo nexu » [34]. Tale autem strictum ligamen erga societatem ducesque non videtur adesse in simplici factione politica, neque in communistica [35].

3° Quamvis saepe *Summi Pontifices,* etiam expresse et per longum et latum, de Communismo egerint eumque damnaverint atque illicitum declaraverint nomen ei dare, tamen *numquam edixerunt* per inscriptionem *censuram incurri.* Iam, in his documentis ubi res ex integro tractabatur, pronum erat etiam poenas, si quae essent, proferre. Non

---

31 Etiam LIUZZI De delictis contra auctoritates ecclesiasticas Romae 1942, c. VIII, 4, b.

32 VERMEERSCH De prohibitione et censura librorum[4], 82, 3, b. Etiam CAPPELLO De censuris[3], 298, 7, 4° monet: « in praxi attendas velimus num agatur de *vera* aggregatione cuius membra nempe vinculo sociali sint unita necne ». Idem tenent GÉN.-SALS. II[15], 594; PISCETTA-GENNARO IV, 401.

33 CLEM. XII, litt. ap. In eminenti, 28 Apr. 1738; Fontes I, 299, § 1.

34 LEO XIII, Encycl. Humanum genus, 20 Apr. 1884; Fontes III, 591, 7.

35 PISCETTA-GENNARO IV, 401 « huc igitur non pertinent factiones, partes (partiti) quae societatis formam non habent ». Non desunt tamen qui, distinctione invecta inter *sectam,* seu societatem quae illud arctum foedus supponit, et *associationem,* quae exigeret « meram unionem individuorum cum fine determinato », utramque, ex Codice, poenis plecti affirment. A CORONATA, IV[2], 1948, ex AUGUSTINE VIII, 297.

factum est: signum non spernendum has poenas non adesse [36].

4° Tandem ipsa *tam multorum* coacta *adhaesio* huic factioni prudentes in decernendis poenis nos esse cogit. Alienum quippe videtur a spiritu mansuetudinis et a praxi Ecclesiae tam ingentem hominum massam (tertiam circiter partem adultorum in pluribus nationibus) poena lata a se velle separare. Praesertim cum agitur de materia adeo magni momenti et complexa, circa quam bona fides in errantibus, et quidem invincibilis, admittenda est, maxime quando iusta quaedam ac sacrosancta popularium iura vindicantur. Ipsi auctores qui theoretice pro severitate stant, practice etsi illogice effugium admittunt pro massa adscriptorum non solum ob ignorantiam poenae (quod omnes concedere debent), verum modo generaliori [37].

Talibus cumulata fulcimentis stat ergo conclusio nostra, simplices adscriptos factioni communisticae censurae obnoxios non esse. Obnoxii simpliciter dicendi sunt *prohibitioni* quominus huic factioni nomen dent, et quidem, per se, sub gravi, quia agitur de societate certe illicita,

---

[36] Si quando similitudinem vel dependentiam Communismi et socialismi a Massoneria videantur Pontifices innuere, id multiplici modo explicari potest: 1° Agebatur tunc de primis passibus huius organizationis quae tunc oriebatur et, saepe etiam a civili auctoritate proscripta, cogebatur latere et clandestine vivere, ita ut revera aequiparari posset sectis clandestinis. 2° Non agebatur de vera 'factione' clare et definite organizata, et quidem cum tam magno comitatu asseclarum. Erant saepe pauci, iique malae famae viri qui inconsulte et animo anarchico pro lubito quaeque facinora patrare sibi licere arbitrabantur ex odio contra divitum classem auctoritatesque legitimas. 3° Tandem si attente inspicias illa documenta invenies non veram poni aequiparationem. Unice effertur aliqua similitudo et dependentia quaedam, saltem indirecta. Sic Leo XIII: « quorum (communistarum) coeptis alienam ne se dixerit secta massonum quae et *consiliis eorum admodum favet* et *summa sententiarum capita* cum ipsis *habet communia* ». Encycl. Humanum genus, 20 Apr. 1884; Fontes III, 591, 18,

[37] Sic. v. g. Sipos Enchiridion Iuris Canonici[4], § 79, 1, a.

prouti patet sive ex eius natura sive ex documentis pontificiis, etiam recentibus [38].

Ut finem tandem huic nostrae inquisitioni imponamus, liceat nobis candide haec animadvertisse circa modum agendi in re communistica: 1° Noster modus agendi vel speciem vitet velle nos cum humilibus, qui iusta saepe (etsi non semper) sua iura defendere conantur — utique via non bona, per communismum nempe — durius agere quam cum ditioribus, qui saepe (non semper) renovationi christianae iniusti ordinis socialis nunc exsistentis obsistunt [39].

2° Ne putemus nos magis proficere in bono animarum procurando et fidelibus ad Christum adducendis per frequentem et gravem poenarum ecclesiasticarum usum. Practice enim in mundo hodierno, indifferentismo religioso paene confecto, hic unus erit effectus ut magis ab Ecclesia et sacramentorum usu homines semper numero maiores alienentur.

3° Regia via ad illos ad Christum et Ecclesiam reducendos erit *practica actio* bonorum, qua revera popu-

---

[38] Quaeri tunc potest num applicari debeant cc. 1095-96 qui agunt de matrimonio adscriptorum societatibus ab Ecclesia damnatis. Nullum dubium quin applicandi sint isti cc. si agitur de illis communisticae factioni adscriptis quos diximus censuras incurrere. Si autem agatur de simplicibus adscriptis qui in bona fide sunt; a materialismo nempe abhorrent et unice intendunt finem oeconomicum; cum celebratio matrimonii neque ullam per se irreverentiam sacramento contineat, nec directe ullum creet periculum vel perversionis pro coniuge vel malae educationis pro prole, censemus cc. illos non esse applicandos; nisi alicubi peculiares circumstantiae aliud suadeant, de quibus Ordinarius iudicet. Debent e contra in praxim adduci illi cc. si agitur de illis communistis qui quamvis censuras effugiant, tamen vel altam in factione praeeminentiam habent, vel intensam pro illa activitatem seu « propagandam » exercent, vel publice contemptum erga Ecclesiam manifestant. In hoc casu enim nisi cautiones cc. 1095-96 exigantur, et scandalum fidelibus daretur et revera alter coniux et proles periculo exponerentur perversionis vel malae educationis.

[39] Pius XI, Encycl. Quadragesimo anno, 15 Maii 1931; AAS XXIII (1931) 198, 210 ss.; Pius XI, Encycl. Divini Redemptoris. 19 Mart. 1937; AAS, XXIX (1937) 91.

lares et humiliores oculis suis videant et veluti manu tangant se suaque iura defendi, intelligantque meliorem associationem vel factionem etiam pro operariis nullam esse quam quae Christi et Ecclesiae praecepta suggestionesque et reverenter ut vera admittat et strenue ad praxim de facto reducat.

H. M. GANZI S. I.

SENTENTIA S. R. ROTAE

Matrimonium declaratur nullum ex capite exclusionis boni fidei.

1. - Aestate anni 1926, Camillus, 26 annos natus, rationatoris diplomate donatus atque in gemmaria arte excultus, ad maris latus obviam habuit puellam Semproniam, vix decimum et sextum aetatis annum supergressam, ubi una cum matre, fratre et sorore balneis marinis utebatur. Ipse assidue puellam colere studuit; conversatio et assiduitates juvenis Semproniae non displicere visae sunt. Patriam omnibus reversis, insequenti mense octobri, in ludo quem « giuoco del calcio » vocant, Camillus amico sibi coniunctissimo, quem veluti fratrem habebat, Antonio praesentavit Semproniam. Haec Antonium sive apud quamdam nummariam mensam, penes quam frater puellae et Antonius operam navabant, sive alibi, frequentare incepit, ita ut inter juvenes vehemens exarserit amor, qui sub finem anni illius in carnales commixtiones ruit. Puella, dum peccaminosis amplexibus cum Antonio indulgebat, Camillum non deserebat, immo aestate anni insequentis Camillus et Sempronia mutuam sponsaliciam fidem sibi dederunt cum anuli traditione et communi laetitia. Dum sponsus nuptias cunctabatur, ut sua oeconomica condicio melior fieret, sponsa probosum carnale commercium cum amasio fere cotidie in domo Antonii ipsius prosequi non erubescebat. Tandem initae sunt nuptiae die 3 martii 1930 cum pompa et communi gaudio. Coniuges, a voluptuario itinere reversi, communem vitam pacifice transegerunt, licet uxor curis domesticis operam dare neglexerit et haud leves pecuniae summas, suis indulgens vanitatibus, profuderit. Vix transactis duobus a nuptiis mensibus, mulier Antonium

amasium quaerere non est cunctata, cum eodem pristinis intimis relationibus indulgens. Vita coniugalis, prole ex marito recreata, usque ad annum 1934 producta fuit, cum detecto a marito adulterino commercio uxoris, haec, relictis viro et filiolo , ad suos reversa fuisset, et post paucos dies amasio adhaesisset, quocum adhuc vivit.

2. — Camillus, transactis fere decem annis, apud Tribunal Curiae N. nullitatis matrimonium suum accusavit ex capite simulationis totalis consensus vel saltem partialis ob exclusum bonum fidei ex parte mulieris. Rite partibus ac testibus auditis, iudices, sententia prodita die undecima iunii 1945, utrumque respuerunt caput, edicentes non constare de nullitate matrimonii in casu. A sententia actor rite ad N. S.T. appellavit, et instituto novae instructionis supplemento, in quo iterum audita est conventa cum Antonio et altero teste, causa disceptata fuit die 29 octobris 1946, sed Turnus rotalis statuit, ut duo novi testes audirentur, quibus auditis, causa definita adhuc non fuit, cum Turnus, ad quasdam ambiguitates et incertitudines auferendas, disposuisset, ut iterum conventa coram ipso Turno appareret, quod praestitum est die 15 aprilis currentis anni. Quare hodie respondendum est concordato dubio: An constet de nullitate matrimonii in casu.

3. — IN IURE. — Non copula carnalis, quae libidinis signum est, vel amor, sed consensus dumtaxat matrimonium facit. Matrimonialis vero consensus est traditio et acceptatio iuris perpetui et exclusivi in corpus in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem (can. 1081 § 2). Nupturiens proinde censetur in ineundis nuptiis interne consentire, cum « internus consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis » (can. 1086 § 1). Cum vero in humanis simus et hominis voluntas ambulatoria sit, lex praevidet casum, in quo contrahens non habeat internum illum consensum, sed « positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum, aut omne ius ad coniugalem actum, vel essen-

Mentre l'anno scorso, in questa stessa occasione, Noi indirizzavamo il Nostro Messaggio Natalizio a tutti i cattolici, e in pari tempo a tutti gli uomini di buon senso e di buon volere; a chi mai sarebbe bastato l'animo di presagire alla umanità, stanca della guerra e affamata di pace, ciò che oggi è una dura e innegabile realtà?

Le campane di Natale continueranno a sonare a festa come da secoli; ma per molti cuori chiusi, amareggiati, turbati, esse suonano nel deserto, ove non svegliano più alcun vivo eco.

Trascorso un altro anno di dopoguerra, carico di miserie e di sofferenze, di delusioni e di privazioni, chiunque ha occhi per vedere e orecchi per udire, deve arrestarsi alla vista di questo fatto doloroso ed umiliante: l'Europa e il mondo — fino alla remota e martoriata Cina — sono oggi più che mai lontani dalla vera pace, da una piena e perfetta guarigione dei loro mali, dallo stabilimento di un nuovo ordine nell'armonia, nell'equilibrio e nella giustizia.

I fautori della negazione e della discordia, con tutta la schiera di profittatori che trascinano al loro seguito, giubilano al pensiero o alla illusione che la loro ora è vicina.

Gli amici della pace, i promotori di una stabile riconciliazione tra i popoli, hanno invece il cuore stretto dall'ansia davanti al contrasto fra la ricchezza morale e sociale della buona novella di Betlemme e la miseria di un mondo allontanatosi da Cristo.

Ma i veri cristiani, per i quali tutta la vita, il suo lume e il suo pregio, consiste nel *sentire cum Ecclesia*, conosco e comprendono meglio di ogni altro il senso e il valore di epoche come la nostra, epoche di dense tenebre e, al tempo stesso, di luce sfolgorante, ove il nemico

di Cristo raccoglie tragicamente una larga messe di anime, ma ove molti buoni divengono migliori; ove i cuori generosi si elevano fino all'apice dell'eroismo vittorioso, ove però anche molti tiepidi e pusillanimi, schiavi del rispetto umano, timorosi del sacrificio, decadono nella mediocritá, degenerano nella viltà, simili a quelli, « che non furon ribelli, — nè fur fedeli a Dio, ma per sè foro »[1].

Nella lotta titanica fra i due spiriti opposti che si disputano il mondo, se l'odio è sufficiente per raccogliere intorno allo spirito del male uomini, cui tutto sembrerebbe dover dividere gli uni dagli altri; che cosa non sarebbe in grado di fare l'amore per adunare in una lega vasta come il mondo tutti coloro, fra i quali la elevatezza delle vedute, la nobiltà dei sentimenti, la comunanza delle sofferenze, hanno intrecciato vincoli ben più forti e stretti delle differenze o divergenze che potrebbero separarli?

Ai milioni di uomini disposti ad aderire a questa lega mondiale, la cui legge di fondazione è il messaggio di Betlemme, il cui Capo invisibile è il Re pacifico apparso nel presepio, rivolgiamo in quest'ora le Nostre fervide esortazioni.

I

Lo stigma, che porta sulla fronte il nostro tempo e che è causa di disgregazione e di decadimento, è la tendenza sempre piú manifesta alla « insincerità ». Mancanza di veracità, che non è soltanto un espediente occasionale, un ripiego per trarsi d'impaccio in momenti d'improvvise difficoltà o d'impreveduti ostacoli. No. Essa apparisce al presente quasi eretta a sistema, elevata al grado di una strategia in cui la menzogna, il travisamento delle parole e dei fatti, l'inganno, sono divenuti classiche

---

[1] *Inf.* 3, 38-39.

armi offensive, che alcuni maneggiano con maestria, orgogliosi della loro abilità; tanto l'oblio di ogni senso morale è, ai loro occhi, parte integrante della tecnica moderna nell'arte di formare la pubblica opinione, di dirigerla, di piegarla al servizio della loro politica, risoluti come sono a trionfare ad ogni costo, nelle lotte d'interessi e di opinioni, di dottrine e di egemonie.

Non è Nostro proposito di descrivere qui specificatamente le rovine prodotte da questo torneo d'« insincerità » nella vita pubblica; abbiamo però il dovere di aprire gli occhi ai cattolici di tutto il mondo — ed anche a quanti hanno con Noi comune la fede in Cristo e in un Dio trascendente— sui pericoli che questo predominio della falsità fa correre alla Chiesa, alla civiltà cristiana, a tutto il patrimonio religioso ed anche semplicemente umano, che da due millenni ha dato ai popoli la sostanza della loro vita spirituale e della loro reale grandezza.

Come giá Erode, ansioso di far uccidere il bambino di Betlemme, celò il suo proposito sotto la maschera della devozione e si studiò di tramutare i Magi dal cuore retto in spie inconsapevoli; così ora i moderni imitatori di lui mettono tutto in opera per nascondere alle popolazioni i loro veri disegni e farne gli strumenti ignari dei loro scopi.

Ma una volta conquistato il potere e appena sentono di tenerne ben saldamente in mano le redini, essi lasciano a poco a poco cadere il velo e passano progressivamente dalla oppressione della dignità e della libertà umana alla soppressione di ogni sana e indipendente attivita religiosa.

Ora Noi chiediamo a tutti gli onesti: Come può l'umanità risanare; come può dagli errori e dalle agitazioni della torbida ora presente sorgere un « nuovo ordine » degno di questo nome, se i confini tra amico e ne-

mico, tra il sì e il no, tra la fede e la incredulità vengono cancellati e spostati?

La Chiesa, piena sempre di carità e di bontà verso le persone di quei traviati, fedele tuttavia alla parola del divino suo Fondatore, che ha dichiarato: « Chi non è con me, è contro di me »[2], non può mancare al dovere di denunziare l'errore, di togliere la maschera ai « fabbricatori di menzogne »[3], che si presentano come lupi in veste di agnelli[4], come precursori e iniziatori di un nuovo tempo felice, e di avvertire i fedeli di non lasciarsi stonare dal retto cammino, nè illudere da fallaci promesse.

La Nostra posizione fra i due campi opposti è scevra di ogni preconcetto, di ogni preferenza verso l'uno o l'altro popolo, verso l'uno o l'altro blocco di nazioni, come è aliena da qualsiasi considerazione di ordine temporale. Essere con Cristo o contro Cristo: è tutta la questione.

Voi ben comprenderete perciò quanto Ci riesca doloroso il vedere una propaganda ostile snaturare i Nostri pensieri e le Nostre parole, esacerbare gli spiriti, impedire i pacifici scambi d'idee, scavare più profondamente la fossa, che separa da Noi tante anime, redente dal sangue e dall'amore del medesimo divino Salvatore. Nel fondo di tutto ciò si riconosce sempre la stessa duplicità, voluta e freddamente adoperata come l'arma più penetrante contro la giustizia e la verità, per impedire il riavvicinamento, la riconciliazione e la pace.

La inevitabile conseguenza di un tale stato di cose è la scissione della umanitá in potenti e contrastanti gruppi, la cui legge suprema di vita e di azione è una fondamentale e invincibile diffidenza, che è al tempo stesso il tragico paradosso e la maledizione del nostro tempo.

Ognuna delle opposte parti si crede obbligata a questa diffidenza come ad una necessità di elementare cau-

---

2 MATTH., 12, 30.
3 IOB, 13, 4.
4 Cfr. MATTH., 7, 15.

tela. Ed ecco che, per il fatto stesso, una gigantesca muraglia si leva a rendere vano ogni sforzo per ridonare alla sconvolta famiglia umana i benefici di una vera pace.

Non abbiamo forse dovuto, anche nel corso di queste ultime settimane, toccare con mano gli effetti di questa reciproca diffidenza, nel vedere una così importante Conferenza delle Grandi Potenze giungere al suo termine, senza aver conseguito quei progressi essenziali e definitivi nel cammino della pace, che ansiosamente se ne attendevano?

Per uscire da queste strettezze in cui il culto della « insincerità » ha condotto il mondo, un solo varco è possibile: il ritorno allo spirito e alla pratica di una rettilinea veracità.

Nessuno oggi — a qualunque campo o partito sociale o politico appartenga — che intenda di far valere, nella bilancia del destino dei popoli, per il presente o per il futuro, il peso delle sue convinzioni e dei suoi atti, ha diritto di mascherare il suo volto, di voler apparire quel che non è, di ricorrere alla strategia della menzogna, della costrizione, della minaccia, per restringere, nell'esercizio della loro giusta libertà e dei loro diritti civili, i cittadini onesti di tutti i Paesi.

Perciò, diletti figli e figlie, Noi vi diciamo: Domani celebreremo la Natività di Colui, dalle cui labbra uscì un giorno il grido: « *Veritas liberabit vos* »[5]: la verità (che è la sua dottrina) vi farà liberi! Mai forse questo grido non è risonato più potente che oggi in un mondo affamato di pace, che sente gravare su di sè il giogo della menzogna.

E a Lui, che si è incarnato per essere a tutti « via, veritá e vita », risponda la supplichevole preghiera di tutta la Cristianità, affinchè la verità ritrovi il cammino nel cuore dei reggitori dei popoli, di cui un sì o un no può

[5] Io., 8, 32.

determinare la sorte del mondo, e con la verità rifulga sulla terra non un ingannevole miraggio, ma la stella luminosa della divina pace di Betlemme.

II

Coloro che volevano assolutamente guadagnare la guerra, erano pronti a tutti i sacrifici, anche a quello della vita. Chi vuole sinceramente guadagnare la pace, deve essere pronto a sacrifici non meno generosi, perchè ad una umanità percossa, inasprita, nulla costa tanto quanto di rinunziare alle rappresaglie e ai rancori implacabili.

Le ingiustizie e le crudeltà commesse da quelli che scatenarono la seconda guerra mondiale, sollevarono flutti di giusta indignazione, ma al tempo stesso fecero pur troppo maturare i germi di una istintiva inclinazione alla vendetta.

La parte più sana della umanità — anche nelle nazioni maggiormente impegnate nel conflitto — riprovava unanimemente gli eccessi e le atrocità, che una politica caduta nel nichilismo morale non solo praticava nelle guerra da lei stessa provocata, ma osava anche giustificare teoricamente. I fatti e i documenti in appresso venuti alla luce hanno potuto soltanto confermare che gli autori ed esecutori di quella politica sono i primi responsabili della miseria di cui oggi soffre il mondo.

Gli uomini del dopoguerra avrebbero potuto facilmente opporre a quel decadimento la propria superiorità morale: essi hanno sventuratamente in non pochi casi lasciato sfuggire una cosí opportuna occasione. E' d'uopo riconoscere che la storia della umanitá durante i giorni, le settimane, i mesi, che sono succeduti alla fine della guerra, è stata ben lungi dall'essere in tutto gloriosa.

I meritati castighi, inflitti ai grandi colpevoli, avrebbero potuto ispirare scene d'inferno alla penna di Dan-

te; ma il sommo Poeta avrebbe indietreggiato dinanzi alle rappresaglie esercitate contro innocenti.

Le deportazioni forzate, l'assoggettamento a faticosi lavori, sono apparsi a suo tempo come una sfida alle piú elementari leggi di umanità, alla lettera e allo spirito del diritto delle genti. Ed allora chi potrebbe meravigliarsi, se la stessa coscienza, che si era giustamente indignata, quando ha veduto perpetrare tali atti dagli uni, reagisce in egual modo, se li vede commettere da altri?

Chi potrebbe misurare quali nuove miserie morali, familiari, sociali, quali danni all'equilibrio culturale ed economico dell'Europa, e non della sola Europa, saranno per cagionare i forzati e indiscriminati trasferimenti dei popoli? Quali tristezze per il presente! Quali angosce per l'avvenire! Soltanto una più larga ampiezza di vedute, una più saggia e accorta politica da parte degli Uomini, che hanno nelle loro mani la sorte del mondo, potranno apportare una soluzione tollerabile ad un problema altrimenti insolubile!

Onore dunque a coloro che, in tutte le Nazioni, non rifuggono da nessuna privazione e fatica, per affrettare il conseguimento di cosí nobile scopo! Ch'essi non si lascino turbare dalle contraddizioni e dalle resistenze, che non potranno loro mancare, e che precisamente in questi giorni sembrano crescere d'intensità per suscitare una nuova guerra dei nervi, per attizzare la discordia, per rovinare gli sforzi dei campioni della unione e della pacificazione! Sperino essi che prossima sia l'ora, in cui — come Noi confidiamo e domandiamo nelle Nostre preghiere — il Re della pace concederà la vittoria a quelli, che con pura intenzione e con armi pacifiche combattono per la sua causa.

III

L'umanità dunque non potrà uscire dalle crisi e dalla desolazione presente per incamminarsi verso un più armonico avvenire,, se non frenerà e dominerà le forze della divisione e della discordia, grazie ad un sincero spirito di fraternità, che unisca in uno stesso amore tutte le classi, tutte le stirpi e tutte le nazioni.

Se oggi, nella vigilia del Natale, Noi lanciamo un tale invito al mondo intiero, è perchè vediamo questo spirito di fraternitá in pericolo di estinguersi e di morire; vediamo le passioni egoistiche prendere il passo sulla sana ragione, i duri procedimenti di sopraffazione e di violenza sulla leale comprensione e i reciproci riguardi, la sprezzante noncuranza dei danni che ne derivano sulla cura assidua del pubblico bene.

La Chiesa, il cui cuore materno abbraccia tutti i popoli con eguale sollecitudine, segue con angoscia questa evoluzione nei conflitti nazionali e internazionali.

Quando la fede in Dio, Padre di tutti gli uomini, comincia a svanire, anche lo spirito di fraterna unione perde la sua base morale e la sua forza di coesione; e quando il senso di una comunanza voluta da Dio e che include reciproci diritti e doveri, regolati da determinate norme, comincia a perire, al loro posto subentrano una morbosa ipersensibilità per ciò che divide, una istintiva inclinazione alla esagerata affermazione dei propri veri o supposti diritti, una talvolta inconsapevole, ma non perciò meno perniciosa trascuranza delle altrui necessità vitali.

Allora è aperta la via alla lotta di tutti contro tutti, lotta la quale non conosce che il diritto del più forte.

Il nostro tempo ha dato pur troppo dolorosi esempi di guerre fratricide, sorte con implacabile logica dal dileguarsi dello spirito fraterno.

Perfino la terra, che aveva inteso il canto degli Angeli annunziante la pace agli uomini, che aveva veduto risplendere la stella del Salvatore, ove il Redentore divino morì crocifisso per la nostra salvezza, quella terra santa con le sue memorie e i suoi santuari supremamente cari ad ogni cuore cristiano, ora scissa, è divenuta il teatro di sanguinosi conflitti. E non è forse l'Europa stessa, centro di tutta la grande famiglia cattolica, oggi un monito e una prova dello stato al quale la scomparsa dello spirito fraterno può ridurre una parte del mondo già così bella e fiorente?

Essa porta in sè, non ancora cicatrizzate, le ferite inflittele dall'ultima guerra, e già comincia a balenare la luce sinistra di nuovi dissidi.

Ah! se tutti gli onesti si unissero insieme, come vicina sarebbe la vittoria della fraternità umana, e con ciò stesso la guarigione del mondo! Essi formano già una parte considerevole della pubblica opinione e danno prova di un senso veramente umano e di saggezza anche politica.

Altri invece, non meno numerosi, il cui sì o no ha un notevole peso nell'accelerare o ritardare la pacificazione dell'Europa, prima condizione per altri passi in avanti verso la pacificazione universale, seguono la via opposta. Temono essi dunque che una Europa risanata, rinvigorita, nuovamente cosciente della sua missione, cristianamente ispirata, voglia espellere dal suo organismo i germi venefici dell'ateismo e della rivolta, vivere una vita propria e libera da malsani influssi stranieri?

E' chiaro infatti che una Europa, scossa dai brividi febbrili delle difficoltà economiche e dei torbidi sociali, si lascerebbe piú facilmente sedurre dalle illusioni di un inattuabile Stato ideale che non una Europa sana e chiaroveggente.

Intanto i propagatori di così fallaci propositi si studiano di far proseliti fra gli esaltati e gl'ingenui, per

trascinare anche i loro popoli nel sentiero della rovina, che altri hanno già percorso, meno per propria scelta, che sotto la sistematica oppresione delle libertá civili e religiose.

Non abbiamo Noi forse veduto, su questo sacro suolo dell'Urbe, ove la volontà divina ha stabilito la Cattedra di Pietro, i messaggeri di una concezione del mondo e della società umana fondata sulla incredulità e la violenza farsi seminatori di zizzania nella buona terra di Roma e sforzarsi di persuadere i suoi figli ch'essi hanno ideato e attuato una nuova cultura più degna dell'uomo che non l'antica ed eternamente giovane civiltà cristiana?

Essendo le cose giunte a questo punto, è veramente venuto il tempo, in cui ognuno, a cui è cara e sacra l'eredità umana e spirituale dei suoi padri, scuota il sonno dai suoi occhi e si armi di fede e di coraggio, per preservare l'Urbe, madre di civiltà, dal cadere in una condizione religiosa, morale, sociale, che renderebbe con Nostro vivo rammarico, ben difficile quella solenne celebrazione dell'ormai prossimo Anno Santo, che è nei voti dei cattolici del mondo intiero.

Del resto, se nella odierna ricorrenza le Nostre chiare parole vanno al di là delle frontiere, esse non riguardano che le dottrine negatrici della fede in Dio ed in Cristo, e non certo i popoli o i gruppi dei popoli che ne sono le vittime. Per questi la Chiesa nutre sempre immutato amore, ed anzi, con tanto maggior tenerezza, quanto più essi soffrono. Nei giorni della prova, più che nelle ore serene, gli uomini di tutte le nazioni debbono sentirsi fratelli di quella fratellanza, di cui nessuno ha mai esaltato nè esalterà mai il senso profondo, l'alta missione e la potenza riconciliatrice con tanta forza, quanto « il primogenito tra molti fratelli [6], che da Betlemme al Gol-

---

[6] *Rom.*, 8, 29.

gota ha predicato, col suo esempio più che con le sue parole, quella grande e universale fraternitá.

Sul Natale di oggi si addensa una nube oscura. Mentre l'ansioso anelito di pace diviene nei popoli sempre più intenso, in non minor grado si manifesta nei loro reggitori la impossibilità di soddisfarlo coi mezzi puramente umani.

Gli onesti sforzi degli uni per conseguire una equa pace e il sistematico proposito di altri per intralciarne l'avvento, non suscitano forse in noi l'immagine di un rischioso giuoco d'azzardo, da cui dipende la fortuna o la rovina?

Nelle assemblee umane s'insinua inosservato lo spirito del male, « l'angelo dell'abisso »[7], nemico della verità, fomentatore di odî, negatore e distruttore di ogni sentimento fraterno. Credendo prossima la sua ora, esso mette tutto in opera per affrettarla.

Ciò nonostante, Noi vogliamo chiudere il Nostro Messaggio Natalizio con una incoercibile esortazione alla speranza e alla fiducia.

Se la fede nel Redentore divino muove i cristiani a considerare ogni cosa alla luce della verità, sempre antica e sempre nuova, delle parole che il vecchio Simeone pronunziò sul bambino Gesù presentato al tempio: « Ecco che questi è posto per rovina e per risurrezione di molti, e per segno di contraddizione »; [8] noi sappiamo che il numero di coloro, i quali non si straniano da Cristo con la incredulità, che aderiscono a Lui, che son pronti a dare per Lui la vita, che in Lui e nella risurrezione ripongono la loro incrollabile speranza, — sappiamo che questo numero è grande, che cresce e si fortifica, vediamo che essi irradiano la loro energia e il loro benefico influsso in tutti i campi della vita e che altri uomini di buona volontà si uniscono a loro.

---

[7] *Apoc.*, 9, 11.
[8] Luc., 2, 34.

A voi tutti perciò, diletti figli e figlie, Noi diciamo: La vostra ora è venuta!

Alle assemblee degli Uomini di Stato un altro invisibile Spirito presiede come Signore sovrano, quel Dio onnipotente, al cui sguardo nulla sfugge e che tiene nelle sue mani i pensieri ed i cuori, per inclinarli a suo piacimento e nell'ora di sua elezione, quel Dio, i cui imperscrutabili disegni sono tutti dettati dal suo amore paterno. Ma per mandarli ad effetto, Egli vuol valersi della vostra cooperazione. Nei giorni di lotta il vostro posto è in prima fila, sul fronte del combattimento. I timidi e gl'imboscati sono ben vicini a divenire disertori e traditori.

Disertore e traditore sarebbe chiunque volesse prestare la sua collaborazione materiale, i suoi servigi, le sue capacità, il suo aiuto, il suo voto a partiti e a poteri che negano Dio, che sostituiscono la forza al diritto, la minaccia e il terrore alla libertà, che fanno della menzogna, dei contrasti, del sollevamento delle masse, altrettante armi della loro politica, che rendono impossibile la pace interna ed esterna.

Riportiamoci a tre secoli indietro. All'Europa, sconvolta dagli orrori della guerra dei Trent'anni, l'anno 1648 apportò finalmente il messaggio della pace, l'aurora della restaurazione.

Pregate e lavorate per ottenere da Dio che l'anno 1948 sia per l'Europa ferita, per i popoli straziati dalle discordie, l'anno del rinascimento e della pace, e che, scacciato lo spirito delle tenebre, l'angelo dell'abisso, si levi sul mondo il sole di giustizia, Gesù Cristo Signor nostro, a cui sia onore e gloria nel tempo e nella eternità.

Ed ora vada la Nostra Benedizione Apostolica, auspicio di grazie e di aiuti divini, a tutti i Nostri diletti figli e figlie, così di questa Nostra Città episcopale, come del mondo universo, ma soprattutto a coloro che maggiormente gemono sotto il peso della miseria e del dolore: ai malati, ai poveri, ai lavoratori disoccupati, ai senza tetto, a quanti

soffrono la fame e il freddo; a coloro che, avendo perduto, o per le tragiche vicende dell'immane conflitto, o per ingiuria degli uomini ,o anche per proprî passati errori e colpe, la libertà, la famiglia, la patria, in questa sacra ricorrenza sentono più acuto il morso dello sconforto e dell'angoscia; ai prigionieri di guerra, non ancora restituiti ai loro cari; ai profughi, ai dispersi; in modo particolare a quanti, specialmente sacerdoti, patiscono le persecuzioni, il carcere, l'esilio, le minacce di torture e di morte, perchè fedeli a Dio, a Cristo, alla Chiesa, all'osservanza dei loro doveri.

Annotationes

Mens nostra est paucis complecti quae S. Pontifex de ordinandis rebus publicis anno proxime elapso fuse exposuit. De eventibus huius anni aiebat S. Pontifex hanc conclusionem deduci posse, sc. antithesim inter immanem congeriem quaestionum solvendarum et insufficientiam solutionum, quas saltem hucusque homines excogitarunt, esse specie tenus inconciliabilem. Suscitabitur hoc anno inter homines, quaerebat S. Pontifex, sensus ille fraternitatis, qui eos impellat ad ordinem tandem instituendum in quo et ius et pax resplendeant, vel contra maiores adhuc faciet progressus spiritus discordiae et violentiae? Praesens rerum condicio minime poterat animis tranquillitatem inicere. Deest securitas internationalis; post bellum finitum multa peracta sunt quae potius animos exacerbare possunt.

Fundamentum stabile securitatis, monet S. Pontifex, invenietur solum in sanitate physica et morali populorum, in recto ordine tum interno tum externo, in amicalibus relationibus inter populos vicinos. Item prosperitas alicuius Status numquam erit stabilis si ea non extendatur etiam ad alios.

Prosperitas vero materialis sola non sufficit homini-

bus liberis; debet praeterea singulis civibus reddi securum, contra excessus arbitrarios vi impositos, exercitium libertatis; id autem obtineri nequit nisi sub imperio efficaci legum iustarum, quibus dignitas tum personarum tum populorum in tuto collocetur.

Erga eos vero potissimum convertitur attentio S. Pontificis qui magis indigent auxilio. Vehementi tristitia affectus contemplatur miseram condicionem in qua tot pueri et iuvenes versantur in pluribus locis; hinc enim carent sufficienti nutrimento et educatione morali, illinc vero media in abundantia rerum materialium exponuntur periculis amittendae sanitatis tum physicae tum moralis. Delusio vero maxima, quam non possunt non experiri iuvenes, cum videant nullam solutionem inveniri gravium quaestionum nostri temporis, haud difficile inducere eos poterit ad reicienda principia a provectioribus accepta, nulla facta distinctione inter bona et prava. Quo fieri poterit ut exstinguatur demum in eis lux fidei, pereat magnanimitas, dissipentur spiritus abnegationis et promptitudo ad sacrificia subeunda; id autem posteris gravia detrimenta afferre posse nemo est qui non videat.

In hac incerta rerum condicione etiam vita familiaris, ait S. Pontifex, pluribus periculis est obnoxia, quae potissimum mulieribus sive adulescentibus sive nuptis minitantur. Illae vero familiae, quae frequenti prole sunt ditatae maximis in angustiis nunc versantur ob mentem obtusam, cordis duritiam et pravam voluntatem aliorum. Tristis socialis condicio, quae fere ubique regnat, facit ut coniuges virtute solummodo heroica gratia divina suffulta possint voluntatem conservare habendi plures filios. Haec condicio socialis, quae dicitur a S. Pontifice contraria ipsi naturae, non potest non suffundere verecundia ipsam societatem.

Inutilitas tot colloquiorum et tractationum, quae iam inde a cessatione praeliorum habita sunt, fiduciam et patientiam populorum quasi funditus everterunt. Sunt qui

in his gravibus adiunctis aliam ordinationem socialem propugnent; haec autem, utpote athea et consequenter contraria tum religioni christianae tum ipsi ordini naturali, est penitus reicienda; eam damnatam invenimus in Encyc. Litt. « Quadragesimo anno ». Populi nequibunt ullum bonum ex falsitate et iniustitia vel ex violentis perturbationibus percipere. Ideo, etsi adiuncta gravia sint, nullum tamen locum debent fideles dare metui. Fortiter debet actio institui ad remedium efficax tot tantorumque malorum et detegendum et applicandum.

Hoc autem remedium est quaerendum in principiis christianis, quae fundamentum praebent stabile vitae socialis et politicae. Speciali divinae Providentiae dispositione factum est ut Ecclesia suum codicem socialem promulgaverit; via iam clare indicata nunc percurrenda est, a qua non licet christianis ulla ratione recedere. Divitibus et potentibus honor reservatur magnus indefesse laborandi ut iustitia socialis et sana oeconomia quam primum stabiliantur in mundo, ut hac ratione tollatur atheis ansa ad depingendam Ecclesiam catholicam veluti inimicam pauperum et opificum.

Spes vero adventus pacis evanescit in multis hominibus. Contra hanc dispositionem animi debent luctari fideles, cum dubitare non liceat quin tandem omnia, licet inter se diversa, pacifice componi possint. Ecclesia est centrum fraternitatis et pacis universalis, et ob hanc rationem eam odio habent quotquot violentia uti volunt ad dominium universale sibi obtinendum. Ex his patet quanta sit vis spiritualis et moralis Ecclesiae quantumque utilitatis possit eiusdem actio toti societati afferre. Sed pari tempore tenentur catholici, utpote pleni fortitudine, fide, spe et amore, animum adicere omnibus qui timore perterriti actioni renuntiarunt.

Victoria erit fortium qui spe confortati indefesse laborent et sentiant in se stimulum amoris; non est facienda pax cum spiritu mundano, sed potius instauran-

da in mundo vera pax, quae solum potest originem trahere a misericordia divina.

Haec autem vera pax, quae consistit in harmonica et iusta rerum ordinatione, nondum arridet populis; quod non potest non afficere summo dolore fautores reconciliationis internationalis, dum gaudio implet eos qui dissidia seminare haud desistunt ut proprium systema tandem societati imponere possint. In his difficilibus adiunctis homines magno animo praediti facile heroicas virtutes exercent, dum alii et ipsam mediocritatis viam deserunt. Amor mutuus inter eos, qui tum rectitudine mentis tum nobilitate sensuum praestant, posset magnae cuidam consociationi originem dare ad bonum commune promovendum.

Defectus sinceritatis videtur esse magnum vitium quo hodierna vita publica inficitur. Peccatur contra veracitatem secundum methodum iam praestabilitam, in qua adhibentur veluti media ordinaria mendacium, dolus et deformatio factorum, modo sint apta ad propios fines attingendos. Nulla prorsus ratio habetur sensus moralis in usu mediorum, modo ea conferre possint ad proprium cogitandi modum inducendum inter eos qui suae factioni politicae favent.

Quotquot fidem in Christum et in Deum profitentur perpendant necesse est quantum detrimenti sive Ecclesiae sive christianae rerum conceptioni, sive demum ipsi thesauro virtutum naturalium provenire potest e diffusione falsitatis.

Hic autem spiritus falsitatis etiam in eo ostenditur quod primum non manifestetur publice scopus verus qui intenditur; dein vero post obtentam supremam rei publicae potestatem pedetentim fiunt progressus usque ad supprimendam libertatem veramque actionem religiosam. Nulla fit vera distinctio inter amicum et inimicum, inter affirmationem et negationem, inter fidem et incredulitatem; haec mutari possunt quoties id utilitas propia postulave-

rit. Ex hac rerum confusione quo pacto posset aliquis ordo oriri qui tanto nomine sit dignus?

Ipsius S. Pontificis verba haud raro contra iustitiam et veritatem omnino deformantur, ut aditus cuilibet reconciliationi facilius praecludi possit. Amarus fructus huius perfidae methodi est divisio familiae humanae in duos potentissimos coetus invicem contrarios, quorum relationes mutuae insanabili diffidentia inficiuntur. Sterilitas tot colloquiorum internationalium aliter explicari non potest. Vere de aetate nostra iterari possunt quae psalmista olim de suo tempore aiebat: « Desiit fidelitas inter filios hominum. Fallacia loquuntur unusquisque ad proximum suum; labiis dolosis loquuntur et duplici corde (ps. 11, 1-2).

Ad hanc tristissimam rerum condicionem depellendam, ait S. Pontifex, est omnino necessarius sincerus cultus veritatis. Quicumque velint et doctrina et actione influere in sortem populorum, debent aperte manifestare propriam mentem et finem quem interdunt persequi; nullo modo licet usus mendacii et coactionis vel minarum ad coarctandos honestos cives in pleno exercitio libertatis iuriumque civilium. Ille qui asseruit se esse viam, veritatem et vitam, promisit etiam veritatem nos esse liberaturam. Veritas quam nos docuit Christus in sua vita terrena liberabit mundum a durissimo iugo mendacii et falsitatis.

Mutuo odio, quod inter bellum ubique regnavit, succedere debet iam sensus fraternitatis quo certe vitabitur translatio coacta populorum. Secus tristissima sors obtingeret plurimis civibus qui a solo patrio vi arcerentur. Hic sensus fraternitatis, ait S. Pontifex, gravibus est obnoxius periculis nostro tempore. Si enim fides in Deum, Patrem omnium hominum evanescit, etiam fundamentum morale fraternitatis ruit. Si non sentitur necessitas unionis totius familiae humanae, cuius membra mutuis inter se iuribus et officiis devinciantur, propia iura extollentur

nimis, non habebitur ulla ratio necessitatum aliorum et attentio convertetur unice in ea quae ad divisionem animorum conducunt. Exinde vero oriri potest lucta, in qua sola vis physica locum iuris occupet. Nunc vero denuo solidanda est haec fraternitas, cuius sensum profundum, nobile munus et vim unitivam divino modo nos docuit qui est primogenitus in multis fratribus.

Europa, centrum magnae familiae catholicae, cognoscit tristi experientia quot exitiales effectus sequantur ex destructione sensus fraternitatis. Nunc vero Europa debet ante omnia sanari, ut dein pacis universalis instauratio tentetur. Huic autem solutioni se opponunt qui timent ne pari tempore et atheismus et spiritus violentiae dissipentur. Propagationi veneficae doctrinae atheismi et violentiae mirum in modum favent angustiae oeconomicae et perturbationes sociales. Fautores huius doctrinae autumant se posse ordinem socialem constituere, qui longe excedat ordinem a christiana religione propositum. Quo quid falsius?

Itaque huiusmodi doctrina, quae negat fidem in Deum et in Christum, est prorsus reprobanda; populis vero quibus systema hac doctrina innixum, uno vel alio modo est impositum, auxilium fraternum erit praestandum. Traditoris macula inquinarentur ii qui catholici nomen retinentes adiumentum darent factionibus politicis, quae vim, minas et terrorem tanquam media adhibent, vel nullam rationem habent iuris et libertatis aliorum, vel utuntur mendacio et agitationibus socialibus ad propios fines obtinendos; hac enim ratione impossibilis evadit assecutio pacis tum internae tum externae.

Vult autem suae allocutioni finem imponere S. Pontifex contemplatione ingentis multitudinis hominum, qui firmiter adhaerentes fidei christianae prompto animo sunt ad operam efficacem praestandam, ut influxus spiritus christiani penetret omnes campos societatis humanae; pari autem tempore quam plurimum conferent ad ordinem socialem

et internationalem instaurandum quem omnes homines bonae voluntatis ardenter desiderant.

PH. AGUIRRE S. I.

4 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* XL [28 ian. 1948] p. 17).

MOTU PROPRIO

De facultate audiendi confessiones sacerdotibus aërium iter arripientibus concessa.

Animarum studio compulsi, cum huic Apostolicae Sedi nonnulli significaverint locorum Ordinarii opportunum esse praescripta can. 883 C. I. C., circa facultatem audiendi confessiones sacerdotibus maritimum iter arripientibus factam, ad aëria extendere itinera, Nos, plane noscentes huiusmodi itinera impraesentiarum cotidie frequentiora evadere ac volentes ut christifidelibus haud desit commodum quod e laudato Ordinariorum desiderio animarum proveniret sanctificationi, magna cum animi Nostri oblectatione eiusmodi amplectimur votum ac motu proprio, certa scientia et matura deliberatione, de Apostolicae potestatis plenitudine, statuimus ac decernimus ut quae can. 883 C. I. C. de facultate excipiendi confessiones sanciuntur pro sacerdotibus maritimum iter habentibus, valeant atque extendantur, consentaneis quidem clausulis, ad sacerdotes iter aërium facientes.

Quae per Apostolicas has Nostras Litteras decrevimus motu proprio datas, firma ac valida in perpetuum manere praecipimus, contrariis quibuslibet minime obstantibus; ac praeterea iubemus ut ea vigere incipiant simul ac eaedem praesentes Nostrae Apostolicae Litterae in Commentario Officiali *Acta Apostolicae Sedis* nuncupato insertae fuerint.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XVI mensis Decembris anno MCMXXXXVII, Pontificatus nostri nono.

PIUS PP. XII

Annotationes

Hoc Motu Proprio extenduntur dispositiones iuris vigentis circa facultatem audiendi confessiones ex parte sacerdotum iter maritimum arripientium ad sacerdotes iter aërium facientes. Sacerdotibus iter aërium arripientibus conceditur — eisdem sub conditionibus eisdemque cum limitationibus — eadem facultas audiendi confessiones qua gaudent sacerdotes iter maritimum arripientes ad normam can. 883 ac interpretationum authenticarum huius canonis [1].

In Codice Iuris Canonici deest norma circa facultatem audiendi confessiones in itinere aërio; tempore enim redactionis CIC itinera aëria nondum fuerunt in usu. Nunc autem talia itinera sunt sat frequentia; immo, inter omnes constat « huiusmodi itinera impraesentiarum cotidie frequentiora evadere ». Altera ex parte hodierna praxis Ecclesiae confessionem et absolutionem sacramentalem quam maxime facilem reddere intendit, ne unquam de-

---

[1] Ad quaestionem: An sub nomine *Ordinarii*, de quo in canone 833 § 1, veniant etiam Superiores maiores religionis clericalis exemptae, Pontificia Commissio ad Interpretandum Codicem respondit die 30 iulii 1934: Negative. — Praeterea proposita sunt haec dubia:

I. Utrum adverbium *obiter* canonis 883 § 2 ita intelligendum sit ut sacerdos rite praeditus facultate, iuxta § 1 eiusdem canonis, audiendi confessiones, possit, quoties navis in portu maneat, terram adire ibique in ecclesia vel sacello confessiones excipere eorum qui confiteri petant, eosque valide ac licite absolvere, etiam a casibus Ordinario loci reservatis, per integrum diem, vel per integros duos vel tres dies, si tamdiu navis in portu maneat.

II. Utrum id possit per integrum diem, vel per integros duos vel tres dies dictus sacerdos, quoties ad idem iter prosequendum unam navem relinquere debeat ut alteram conscendat, si in portu hanc navem tamdiu expectare debeat.

III. Utrum in utroque casu idem possit dictus sacerdos etiam ultra triduum.

Pontificia Commissio ad Interpretandum Codicem respondit die 20 maii 1923: Ad I et II. Affirmative.

Ad III. Negative, si loci Ordinarius facile adiri possit.

sit hoc medium, quod tam magnopere « animarum proveniret sanctificationi ». Neque ulla ratio iusta et convincens afferri potest, cur Ecclesia absolutionem sacramentalem durante itinere aërio — extra mortis periculum — non permitteret.

Si autem res ita se habent, deest in legislatione canonica norma de se necessaria, adest vera *lacuna iuris*. Non enim habetur norma, quae disponit directe de modo obtinendi facultatem audiendi confessiones durante itinere aërio [2]. Hinc, ad normam can 20, nihil aliud remanebat ad inveniendam normam desideratam nisi applicatio *analogiae legis*. Talis applicatio analogiae legis est medium ordinarium, secundum voluntatem manifestatam ipsius legislatoris, quo supplendum sit silentium legis. Concedendum quidem est nos ignorare — non obstante legitimitate applicationis analogiae legis — quomodo legislator ipse suppleret silentium legis. Applicatio analogiae ab homine privato facta legitima est, sed privata manet, authenticam declarationem et confirmationem non reddit superfluam: lacuna iuris per se explenda est norma quae *directe* disponit de re quae est in quaestione.

Hoc Motu Proprio igitur memorata lacuna iuris expletur. Habetur nunc norma canonica quae *directe* disponit de modo obtinendi facultatem audiendi confessiones durante itinere aërio. Ipse legislator extendit can. 883 etiam ad itinera aëria. Can. 883 applicatus ad iter aërium hunc haberet tenorem:

§ 1. *Sacerdotes omnes aërium iter arripientes, dummodo vel a proprio Ordinario, vel ab Ordinario portus in quo navim conscendunt vel etiam ab Ordinario cuiusvis portus interiecti per quem in itinere transeunt, facultatem rite acceperint confessiones audiendi, possunt, toto itinere,*

---

[2] Ordinarii locorum talem facultatem non videntur dare posse, ne quidem, quando agitur de proprio territorio transvolando; nam Ordinarius loci habet iurisdictionem ordinariam audiendi confessiones « pro suo territorio ». Cfr. illa quae infra dicuntur de locis iurisdictioni Ordinariorum non subiectis.

quorumlibet fidelium secum navigantium confessiones in navi excipere, quamvis navis in itiner traseat vel etiam aliquandiu consistat variis in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis.

§ 2. *Quoties vero navis in itinere consistat, possunt confessiones excipere tum fidelium qui quavis de causa ad navim accedant, tum eorum qui ipsis ad terram obiter appellentibus confiteri petant eosque valide ac licite absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis.*

Sacerdotes iter aërium *arripiunt* momento quo navim conscendunt in ordine ad proficiscendum in navi; non requiritur, ut navis ex portu aërio iam solverit.

Ordinarius proprius sacerdotis est Ordinarius dioecesis cui est incardinatus [3]. Generatim sacerdos in dioecesi cui est incardinatus, habet etiam domicilium, ita ut Ordinarius proprius ratione domicilii [4] sit idem ac Ordinarius proprius ratione incardinationis. Non autem excluditur sacerdotem habere domicilium vel quasi-domicilium in dioecesi distincta a dioecesi cui incardinatur. Tunc habet plures Ordinarios proprios: ratione incardinationis, ratione domicilii, ratione quasi-domicilii. Sufficit facultas data a quolibet horum Ordinariorum.

Quaestiones quoad domicilium et quasi-domicilium religiosorum sunt satis controversae inter auctores. Nihilominus, facultas audiendi confessiones habita ab Ordinario loci, in cuius territorio sita est domus cui sacerdos religiosus ascribitur, sine omni dubio — i. e. supposita qualibet sententia circa domicilium religiosorum — sufficit, ut sacerdos religiosus uti possit facultate data pro itinere aërio. Non autem videtur constare omnibus auctoribus, quod pro sacerdote religionis clericalis *exemptae* stricte *requiritur* facultas habita ab Ordinario loci, in cuius territorio sita est domus cui sacerdos religiosus ascribitur. Religiosi

---

[3] Cfr. can. 111, 112.

[4] Sive per domicilium sive per quasi-domicilium suum quisque parochum et Ordinarium sortitur. (Can. 94 § 1.)

enim religionis clericalis exemptae non habent Ordinarium *loci* tamquam Ordinarium *proprium;* hinc pro sacerdote religionis clericalis exemptae interdum dicitur sufficere facultas audiendi confessiones habita ab Ordinario loci *commorationis actualis* [5]. Certo tamen non sufficit facultas audiendi confessiones data a proprio Superiore maiore, etsi est Ordinarius proprius in religione clericali exempta [6].

Toto itinere sacerdotes hac facultate gaudent, i. e. a momento quo iter aërium arripiunt usque ad momentum quo relinquentes navim *definitive* iter aërium finem habet. De cetero *duratio itineris* non attenditur. Verum quidem est itinera aëria saepe non habere illam durationem temporalem quam communiter habent itinera maritima. Ad perficiendum iter aërium multo minus temporis requiritur quam si eadem distantia percurrenda esset in mari. Altera ex parte in can. 883 quoad ipsum iter maritimum non habetur ulla determinatio temporis requisiti, ut quis facultate ibi concessa valide et licite uti possit. Neque habetur talis determinatio in Motu Proprio, quo facultas extenditur ad iter aërium. Hinc, ubicumque verificatur casus itineris aërii, etsi ad tempus breve, facultas audiendi confessiones habetur.

Distinguuntur loca diversorum Ordinariorum iurisdictioni *non subiecta* a locis iurisdictioni Ordinariorum locorum *subiectis*. Proinde spatium locale per quod fit iter aërium, consideratur tamquam non subiectum iurisdictioni Ordinarii particularis territorii Ecclesiae. Rem ita vere esse demonstratione non indiget, si agitur de itinere aërio *transmarino*. Transvolatur ipsum mare, quod non est subiectum iurisdictioni Ordinarii loci. Sed etiam si agitur de itinere aërio in *continente* aut in *magna insula,* navis versatur in spatio locali iurisdictioni Ordinarii loci non subiecto. Nam,

---

5 Cfr. F. M. Cappello S. I., Tractatus canonico-moralis de Sacramentis. Vol. II. De Poenitentia. Taurinorum Augustae 1938[3]. Nr. 411.

6 Cfr. supra notam 1.

secundum can. 873 § 1, Ordinarius loci habet iurisdictionem ordinariam ad confessiones excipiendas « pro suo territorio ». Iamvero in aestimatione communi spatium aërium — saltem ultra illam altitudinem quam aedificia in respectivo solo exstructa habent — non habetur coniunctum cum solo, ita ut spatium aërium esset pars « territorii » [7]. Proinde quoad facultatem audiendi confessiones spatium aërium est eiusdem conditionis ac altum mare, a. v. non est subiectum iurisdictioni Ordinarii particularis territorii Ecclesiae.

Structura iuridica igitur facultatis audiendi confessiones durante itinere aërio est eadem ac durante itinere maritimo: in utroque casu agitur de spatio locali iurisdictioni Ordinarii loci particularis territorii Ecclesiae non subiecto. Haec est ratio cur dispositiones vigentes circa iter maritimum extenduntur ad iter aërium, non autem ad iter terrestre vel fluviale, quod de se peragitur in territorio iurisdictioni Ordinarii loci subiecto [8].

---

[7] Etiam in *iure internationali* non admittitur universaliter spatium aërium subiectum esse potestati Status respectivi territorii. Hodie quidem theoria, quae potestatem Status extendit ad spatium aërium supra territorium, est praevalens, quia est admissa ab omnibus fere Statibus; a. v. tale ius Status innititur tractatibus internationalibus. Non autem desunt auctores, qui — non vigente tali conventione iuris *positivi* — aërem considerant tamquam rem communem, qui idcirco ad nullum Statum exclusive pertinet. Pro nostra quaestione haec nullius sunt momenti, quia ius internationale non afficit negotia iuridica Ecclesiae interna, i. e. illa quae effectus extra Ecclesiam non habent. Praeterea ipse finis conventionum internationalium in hac quaestione non afficit Ecclesiam. Tales conventiones enim fiunt, ut ita magis provideatur securitati proprii territorii, quae per libertatem transvolandi territorium in periculum adduci putatur; a. v. decisivae sunt rationes praesertim militares, quae pro exercitio iurisdictionis spiritualis non exsistunt.

[8] De cetero extensio can. 883 ad alios casus non est res nova. Sancta Sedes in casibus *particularibus* — non autem lege generali — iam pro ipso itinere *terrestri* et *fluviali*, si sit nimis longum, facultatem audiendi confessiones interdum concessit simili modo ac pro itinere maritimo. Cfr. Decretum S. C. de Prop. Fide 4.2.1907. (C. Gasparri, Codicis Iuris Canonici Fontes VII. 4941):

« Sanctitas Sua benigne decernere ac declarare dignata est, omnes cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis atque

Conceditur quidem etiam facultas audiendi confessiones in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis. Sed haec facultas habetur tantum *durante ipso itinere aërio et dependenter a tali itinere*. Proinde facultas *principaliter* data respicit spatium locale iurisdictioni Ordinarii loci non subiectum; ad hanc facultatem accedit facultas in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis, quoties navis in itinere consistat. Ratio huius concessionis *accessoriae* indicatur in responso Pontificiae Commissionis ad Interpretandum Codicem die 20 maii 1923 dato [9]. Hoc responsum supponere videtur in communiter contingentibus non esse facilem recursum ad Ordinarium loci, ut ipse concedat facultatem audiendi confessiones, quoties navis in itinere consistat, praesertim si hoc fit ad tempus breve. Altera ex parte facile haberi possunt inconvenientia, si sacerdotes, qui toto itinere gaudent fa-

---

etiam e clero saeculari missionarios seu presbyteros ad Sinenses Missiones destinatos, qui duo vel numero plures consociati, ad littora Sinensia appellunt, durante toto itinere terrestri aut fluviali usque dum pervenerint ad Missionem sibi respective adsignatam, dummodo ad sacramentales confessiones fuerint legitime approbati ... posse inter se confiteri, eosque item posse confessiones audire clericorum non sacerdotum et Fratrum laicorum cum ipsis iter agentium, et etiam Religiosarum Sororum, si forte contingat aliquas in eodem comitatu esse ad Missiones destinatas, immo quoque vehicula aut cymbas ducentium, vel sarcinas per iter ferentium, vel alia quacumque ratione eorum itineris sociorum ... ». — Praeterea *Decretum* S. C. S. Off. 31.8. 1909 pro Archiepiscopis et Episcopis Reipublicae Columbianae (Conferencias Episcopales de Columbia. Desde 1908 hasta 1930. Imprenta del C. de Jesús-Bogotá. Pag. 177): « Archiepiscopi et Episcopi Reipublicae Columbianae ad pedes S. V. provoluti eamdem S. V. humiliter rogant ut cum hanc Rempublicam ingentia et spatiosa flumina decurrant quae ab Ordinariorum longe distant Sedibus, et ad quorum ripas quamplurimi degunt fideles Ecclesiae auxiliis saepe destituti, fas sit sacerdotibus approbatis, per eorum aquas vel oras facientibus iter, poenitentiae sacramentum, juxta normas definitas decretis S. R. et U. Inquisitionis feria IV die 23 augusti 1905 et feria IV die 12 decembris 1906 editis, fidelibus ministrare ». (Hodie hae normae habentur in can. 883).

« SSmus. D. N. Pius Divina Providentia PP. X, ... benigne annuit pro gratia juxta preces ».

[9] Cfr. supram notam 1.

cultate audiendi confessiones, ea privata exsisterent tempore quo navis in itinere consistat; hinc pro hoc tempore ipsum ius facultatem necessariam delegat.

Habetur haec facultas accessoria, dummodo agatur de *interruptione itineris aërii*, quod continuandum est. Causa ob quam haec interruptio fit non attenditur[10]. Ita talis causa potest esse aliqua *necessitas*, e. g. adversitas caeli, tempestas, quae navim constringit ad consistendum in portu per aliquod tempus, necessitas mutandi navem et expectandi aliam; vel etiam aliquid quod a *libera voluntate* dependet, e. g. recreatio conveniens ob defatigationem vel adversam valetudinem, negotium celeriter expediendum in portu intermedio vel in locis vicinioribus. Portus enim aërii saepe distant a civitate, in qua forte sacerdos commoratur tempore interruptionis itineris aërii. In omnibus hisce et similibus casibus sacerdotes ad terram *obiter* appellunt et facultatem habent excipiendi confessiones eorum qui ipsis confiteri petant eosque valide ac licite absolvendi etiam a casibus Ordinario loci reservatis.

Duratio interruptionis itineris aërii non determinatur directe. Ex responso autem dato a Pontificia Commissione ad Interpretandum Codicem die 20 maii 1923 iure concluditur legislatorem supponere interruptionem itineris non se extendere ultra paucos dies. Nihilominus, certa aliqua duratio non determinatur, ultra quam de interruptione itineris iam non posset esse sermo. Immo, possibilitas durationis ultra tres dies explicite admittitur. In hoc casu facultas audiendi confessiones ab Ordinario loci petenda est tantum, si hic *facile* adiri potest, i. e. si in concretis circumstantiis sacerdos sine magno incommodo, sive personaliter, sive per litteras, talem facultatem petere potest. Recursus per telephonum vel per telegraphum non censetur facilis secundum responsum Pontificiae Commissionis ad Interpretandum Codicem die 12 novembris 1922 da-

---

[10] Cfr. Cappello, o. c., n. 412.

tum [11], quod iure in nostro casu applicatur, quia agitur de facultate *ipso iure* concessa, quae proinde est latae interpretationis.

Si autem secundum communem aestimationem non agitur de interruptione itineris aërii, sed de fine eius, etsi forte iam constat aliud iter aërium mox esse instituendum, non conceditur a iure facultas audiendi confessiones. Haec facultas datur tantum pro tempore interruptionis *unius eiusdemque* itineris aërii, non pro tempore intermedio inter duo itinera aëria.

W. BERTRAMS S. I.

5 - S. Sacra Congregatio Sancti Officii

Monitum

Cum compertum sit variis in locis, contra Sacrorum Canonum praescripta et sine praevia S. Sedis venia, mixtos conventus acatholicorum cum catholicis habitos fuisse, in quibus de rebus fidei tractatum est, omnibus in memoriam revocatur ad normam canonis 1325 § 3 prohibitum esse, quominus his conventibus intersint, sine praedicta venia, cum laici, tum clerici sive saeculares sive religiosi. Multo autem minus catholicis licitum est huiusmodi conventus convocare et instituere. Quapropter Ordinarii urgeant, ut haec praescripta ab omnibus adamussim serventur.

Quae quidem potiore jure observanda sunt, cum agitur de conventibus, quos « oecumenicos » vocant, quibus catholici, sive laici sive clerici, sine S. Sedis praevio consensu, nullo modo interesse possunt.

---

11 Utrum in casibus, de quibus in can. 1044 et 1045 § 3, censendum sit Ordinarium adiri non posse, cum nec per litteras, nec per telegraphum nec per telephonum ad eum recurri potest; an etiam cum solum per litteras impossibile est, licet per telegraphum vel telephonum id fieri possit. Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam; seu ad effectum, de quo in canonibus 1044 et 1045 § 3, censendum esse Ordinarium adiri non posse, si nonnisi per telegraphum vel per telephonum ad eum recurri possit.

Cum vero, tum in praedictis conventibus tum extra ipsos, etiam actus mixti cultus haud raro positi fuerint, denuo omnes monentur quamlibet in sacris communicationem ad normam canonum 1258 et 731, § 2, omnino prohibitam esse.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 5 iunii 1948.

PETRUS VIGORITA, *Notarius*

Annotationes

1. Documentum inscribitur « monitum »; quo titulo innuitur non agi de re nova inducenda, sed de iam exsistente memoranda et urgenda.

« MONITUM » agit de religiosis conventibus mixtis acatholicorum cum catholicis seu de conventibus « in quibus de rebus fidei tractatur ». Ideo MONITO non comprehenduntur conventus mixti, in quibus de aliis materiis agitur, e. gr. de rebus scientificis religionem non tangentibus, de rebus mere socialibus, oeconomicis aliisve similibus; monitum ergo *in genere* non excedit canonem.

2. Conventus religiosos mixtos frequenter habitos esse et haberi, est factum notorium. Modus, qui in iis servatur, est sat varius. Aliquando e. gr. relationem a catholico habitam subsequitur altera relatio de eadem materia habita ab acatholico et adnectitur discussio utriusque expositionis. Aliquando de certo themate, in antecedenti designato, ab omnibus membris conventus fit relatio scripta, in sessionibus communibus praelegenda et discutienda. Haud raro accidit, ut ad conclusionem communem pervenire nequeant et ut idem thema in novo conventu iterum discutiatur, vel etiam ad interim reponatur.

Methodus tractandi materiam modo est mere scientifica, quae tendat solummodo in propriae fidei doctrinam exponendam et probandam; modo simul vel potius parae-

netica et suasiva, qua orator (conscie vel inconscie) alios ad propriam sententiam amplectendam inducere vult.

Occasione horum conventuum mixtorum, hinc inde peraguntur etiam actus cultus mixti, ita ut catholici hoc vel illo modo participent in cultu acatholico, et viceversa acatholici in culto catholico, immo accidit ut acatholicis SS. Eucharistia distribuatur vel catholici in missa ab acatholico celebrata communionem recipiant.

3. Aditus ad hos conventus mixtos generatim non omnibus, qui interesse velint, patet. Aliquando non nisi pauci et personaliter electi ad conventus admittuntur, (uti e. gr. Professores theologiae, pastores animarum, officiales ecclesiastici qui in dirigendis ecclesiis munus altius tenent). Aliis autem in locis et diversis temporibus sat magna conceditur facultas adeundi conventus atque in iis activam partem habendi. Neque desunt conventus, qui (sive exclusive sive primarie) laicis (ordinarie maiore eruditione ornatis), tum viris tum feminis, constituuntur.

Habiti sunt conventus aliquando, Ordinariis ecclesiasticis explicite consentientibus, immo iisdem (per se ipsos vel per personas competentes et ab iis delegatas) influxum directivum in conventus exercentibus; alibi peracti sunt conventus, Ordinariis tantum scientibus vel saltem non contradicentibus; alibi tandem auctoritate ecclesiastica inscia vel etiam invita.

4. Finis in quem ultimis his decenniis omnes hi conventus religiosi mixti tendebant et hodie tendunt, est unio omnium, qui Christum profitentur, in Ecclesiam unam. Est ergo idem finis quem sibi proponit sic dicta « Motio oecumenica ». Quem finem catholici non possunt non laudare, exoptare, promovere; quaeri solummodo potest, num allegati conventus mixti sint via recta et apta, qua in hunc finem catholici cum acatholicis tendant.

5. Ad hunc finem promovendum variis in regionibus instituti sunt: uniones, associationes, confraternitates, circuli, conferentiae, huius vel illius structurae iuridicae

et socialis, hoc vel illo nomine et titulo insignitae. Qui his associationibus sunt adscripti censent omnes: dictis conventibus mixtis finem reunionis haud parum promoveri; in iis enim discere alios, quid revera sentiant alii; ita multos errores et praeiudicia corrigi; aversiones et oppositiones infensas animorum deponi vel praecaveri; contactu personali, qui extra conventus haberi nequit, sensim sine sensu obtentum iri et unius et alterius partis approximationem ad unam et ab omnibus unice intentam veritatem doctrinae Christi. Haec sane est mentium et animorum dispositio, quae in istis associationibus generatim invenitur et fovetur.

6. Pro variarum regionum condicionibus conventus mixti hic magis fiunt cum schismaticis variarum ecclesiarum dissidentium; alibi magis cum protestantibus, calvinistis, aliarumve sectarum, quae dicuntur « Confessiones christianae ».

Coguntur et convocantur conventus hinc inde ab hominibus privatis qui propria ita dicta « initiativa » ducuntur; saepius vero a supranominatis associationibus, circulis etc., vel etiam a personis in munere et auctoritate positis.

7. Omnes hucusque memorati conventus, non obstante magna eorum varietate (sive quoad nomen quo vocantur; sive quoad membra quibus constant; sive quoad formam qua celebrantur, sive quoad modum procedendi quem sequuntur) Monito recenter edito comprehenduntur.

8. Si quae hoc Monito continentur magis in particulari considerantur: primo loco notatur *factum* « mixtos conventus acatholicorum cum catholicis habitos fuisse »; quod factum (prout supra iam notatum est) est « notorium ». Reprobatur, non quod omnino habiti fuerint, sed quod habiti fuerint « contra Sacrorum canonum praescripta et sine praevia S. Sedis venia ». Praescriptum vero Sacrorum Canonum praecise est in venia S. Sedis petenda. Prohibet ergo Ecclesia, quominus tales conventus mixti

fiant, inscia, immo invita competente auctoritate ecclesiastica; vult ne fiant nisi sub cura et vigilantia Ecclesiae. Ideo in memoriam revocatur vetitum canonis 1325 § 3: « Caveant catholici ne disputationes vel collationes, publicas praesertim cum acatholicis habeant, sine venia Sanctae Sedis aut, si casus urget, loci Ordinarii ». Termini canonis facile intelleguntur ex iis quae saeculis elapsis saepe acciderunt. Tunc temporis indictae sunt sive a catholicis sive ab acatholicis publicae disputationes de hac vel illa veritate fidei, et provocati sunt adversarii, ut se sistant ad pugnam. Praevalebat ergo tendentia polemica; qui induxit disputationem, vincere voluit adversarium et sibi suisque thesibus vindicare lauream « veritatis ». Talis tendentia polemica ab hodiernis his conventibus mixtis generatim abest, immo ordinarie explicitis verbis excluditur. Sed *res quae* tractatur hodie eadem est atque fuit tempore praeterito, atque idem est finis, quem qui serio loquitur, sibi (instinctu naturae) proponit, scl.: ostendere vera esse quae dicit, et inducere auditores, ut ipsi quoque vera habeant quae Relator ut vera proponit.

9. Allegato canone prohibentur non solum disputationes et collationes publicae, sed etia privatae; *publicae* ad quas generatim omnibus plus minus patet aditus, et quae publice indicuntur; *privatae*, quae, omissa publica indicatione, non nisi pro relative paucis, et in particulari invitatis, instituuntur.

10. Textus canonis 1325 § 3 non exhibet verbum « praevia ». Sed requiri *veniam praeviam* deducitur ex rei natura, ex fine legis, tandem et maxime ex novo Monito, in quo de industria haec vox posita est; nam, admissa *venia praesumpta* vel *ratihabitione subsequenti*, directio et vigilantia S. Sedis in re tanti momenti, quanti est discussio fidei in conventibus mixtis, illusoria et inanis redderetur. Solummodo si est « periculum in mora », (idest si ex una parte est quaedam vera necessitas participandi in istis conventibus, et si ex altera ob defectum temporis

S. Sedes adiri non potest) tunc, et tunc solum Ordinarius loci est competens ad requisitam licentiam praeviam dandam.

11. MONITO in memoriam revocatur: « prohibitum esse, quominus hisconventibus intersint cum laici tum clerici sive saeculares sive religiosi ». Nemo ergo nulloque ex titulo liber est a praevia S. Sedis venia petenda, si censet necessarium vel conveniens esse (ob rationes positivas et solidas) se in huiusmodi conventibus partem sive activam sive mere passivam habere. MONITUM autem allegati canonis vetitum excedit — (licet quae sequuntur ex canone deduci possint) — statuendo: « Multo autem minus catholicis licitum est huiusmodi conventus convocare et instituere ». Si catholici ne interesse quidem possunt, multo minus iis licitum esse potest, tales conventus « convocare et instituere ». Hoc vetitum pari modo tangit singulos privatos atque associationes et personas in munere et auctoritate positas.

12. Quae si prae oculis habentur, facile intellegitur, cur Ordinarii moneantur, ut memorata MONITI praecepta urgeant eorumque observationi invigilent. Nemo ergo de Ordinariorum vigilantia conqueri neque quis iis vitio vertere potest, quod non sinant eum facere quae ipse velit, aut quod Ordinarii se non competentes dicant, qui necessariam veniam dent, sed ipsum ad S. Sedem remittant. Etiam nemo mirari debet: S. Sedem ad veniae petitionem respondere NEGATIVE; nam auctoritati ecclesiasticae in re tanti momenti nequit idem esse: veniam peti et veniam dare.

13. MONITUM non nisi canonem 1325 § 3 allegat; sed facile accidere potest, ut etiam vetitum canonis 684 urgendum sit, si quis scl. nomen dederit alicui associationi « Motionis oecumenicae », quae independenter a vigilantia Ecclesiae finem huius Motionis promovere intendit. Statuitur canone 684: « Fideles ... caveant ab associa-

tionibus, ... quae studeant sese a legitima Ecclesiae vigilantia subducere ».

14. Monito non negatur: ex nominatis mixtis conventibus fructus bonos haberi posse, immo aliquando etiam de facto habitos esse et haberi; at ei subest fundatus et multiplici tristi experientia probatus timor, ne his conventibus, si indiscriminatim permittuntur et vigilantiae Ecclesiae subtrahuntur, serium fidei et veritatis catholicae damnum oriatur. Sicut Ecclesia non permittit neque permittere potest indiscriminatim omnibus lectionem librorum, ab haereticis vel schismaticis conscriptorum quibus haeresis vel schisma propugnatur, ita neque permittit vel permittere potest, ut indiscriminatim omnes intersint haeresis vel schismatis expositioni, viva voce factae, quae saepe maiorem efficaciam habet, et auditores magis movet. — Insuper experientia teste (non quidem semper, sed hinc inde) accidit, ut catholici, qui in dictis conventibus veritatem catholicam exponendam assumpserunt, eam (vel ob defectum profundae scientiae theologicae vel ex falsa ad suos auditores acatholicos condescensione) non integram tradant, sed aliquatenus obvelent vel diminuant. Quem ratiocinandi et loquendi modum sapit etiam sic dicta quorundam recentium theoria « assimilationis progressivae dogmatum », quae urget: eiusdem veritatis fidei unitis viribus studio et in mixtis circulis discussione non fieri non posse, quominus modus videndi veritatem quem tenent catholici, et modus videndi eandem veritatem quem habent acatholici, paulatim ad invicem accedant, usque dum in fine finali coincidant; (sicuti duae lineae convergentes, quarum tandem aliquando una transeat in alteram, et quae ab illo puncto ambae eandem viam sequantur). Nemo non videt, ex huiusmodi mentalitate et procedendi modo haud parvum fidei periculum oriri posse; immo ita fieri posse, ut in acatholicis per catholicos infundata spes unionis creetur vel foveatur, necnon, ut post ea, veritate catholica plena perspecta, catholici, immo vel ipsa Ecclesia

catholica, ab acatholicis accusentur insinceritatis et doli. — Tandem etiam aliud est memorandum periculum. Cum enim in istis conventibus mixtis catholici et acatholici habeantur pares inter se, et tamquam pares invicem agant, fieri non potest, ut non oriatur facile in eorum (etsi non omnium) mente falsa opinio: etiam Ecclesias, quarum singuli sunt membra, esse pares; cum tamen constet, non esse nisi unam veram Christi Ecclesiam, e omnino non posse esse plures Ecclesias christianas, inter se sive pares sive impares. Neque unitatem Ecclesiae Christi esse tandem « efficiendam », sed eam iam esse « effectam », et numquam defecisse; sicut arboris non cessat esse unitas ex eo, quod aliquis ramus ab ea fuerit separatus; neque unitas gregis finem habet vel minuitur eo quod aliquae oves a grege discedant, et numerus ovium ita factus fuerit minor.

15. Quae secundo alinea MONITI dicuntur, non sunt nisi applicatio eorum, quae primum alinea continet, ad casum particularem, idest ad « conventus oecumenicos » quos dicunt, in quibus principaliter variae Ecclesiae protestantes ad unitatem obtinendam convenerunt. Tales conferentiae habitae sunt: 1925 in Stockholm, 1927 in Lausanne, utriusque Conferentiae quaedam continuatio fuerunt conferentiae habitae 1937 in Oxford et Edinburg. Nunc in eo est, ut a die 22 Augusti usque ad diem 5 Septembris huius anni 1948 universalis quaedam conferentia, qua « Concilium oecumenicum », idest synodum quandam quasi permanentem, constituere velint, in Amsterdam celebretur.

Hic « conventus oecumenicus » instituitur et convocatur ab acatholicis; at ipsi (ex se) non excludunt catholicos. Prohibet autem Ecclesia catholica, quominus fideles in his conventibus oecumenicis partem habeant. Quod vetitum spectat tum laicos tum clericos; valet vetitum independenter a titulo et a modo intentae participationis, sive interesse volunt ut « membra pleno iure », sive solummodo ut

« observatores » (officiales vel officiosi), sive ut relatores ephemeridum vel foliorum periodicorum, sive ut homines privati, privato solum nomine et non nisi privata auctoritate agentes. — At neque hoc vetitum est absolutum; exigitur « S. Sedis praevius consensus ». — Ecclesia catholica quominus ipsa talibus conventibus oecumenicis intersit, impeditur iure divino, si agitur de praesentia « unius inter plures alios paris iuris». Vera Christi Ecclesia non potest neque explicite neque implicite vel via facti concedere: esse plures veras Christi Ecclesias, quae se unire possint et debeant in superiorem quandam unitatem (hoc vel illo nomine appellatam, huius vel illius structurae socialis et iuridicae vel sine omni structura iuridica) in « Ecclesiam superconfessionalem » fidei, caritatis, Spiritus Sancti, mysticae unionis. Ecclesia catholica non cognoscit neque agnoscere potest nisi unam omnium unionem in uno a Christo Domino stabilito ovili, quod est ipsa Ecclesia catholica. — At haec veritas catholica non impedit, quominus quidam catholici, consentiente S. Sede, tamquam privati « observatores » tali Conferentiae oecumenicae intersint, et in ea exponant, quae sit doctrina catholica, et respondeant ad quaestiones et dubia, quae ab acatholicis de doctrina catholica iis proponuntur. Quibusnam principiis Ecclesia catholica hac in re ducatur, expositum invenitur in Litteris Encyclicis Pii XI « Mortalium animos » d. d. 6 Jan. 1928 (AAS 20 (1928) pag. 33 sqq.). Eandem doctrinam iam antea repetitis vicibus S. Officium urgebat; ita Decreto d. d. 4 Julii 1919 (AAS. 11 (1919) 309) et Decreto d. d. 8 Julii 1927 (AAS 19 (1927) pag. 278), quod ita sonat: « An liceat catholicis interesse vel favere acatholicorum conventibus, coetibus, condicionibus, aut societatibus, quae eo spectant, ut omnes christianum nomen utcumque sibi vindicantes uno religionis foedere consocientur? Resp. NEGATIVE, atque standum omnino Decreto ab ipsa hac Suprema S. Congregatione die 4. Julii 1919 edito *De participatione catholicorum societati* « ad procu-

randam christianitatis unitatem ». — Ex quibus apparet: MONITUM recenter editum nihil novi introducere, sed revera solummodo antecedentia in memoriam revocare.

16. Ultimum MONITI alinea non iam agit, saltem immediate, de ipsis mixtis conventibus religiosis, sed de aliqua re accessoria et concomitante, quae etiam extra dictos conventus mixtos accidit. Haud raro, sive occasione istorum conventuum sive independenter ab ipsis, actus cultus mixti positi sunt eo sensu, ut catholici vel partem habuerint in cultu acatholico, vel acatholicos ad partem habendam in cultu catholico admiserint, gradu et modo sat diverso. Talis commixtio cultuum ab Ecclesia clare et explicite reprobatur. MONITUM duos canones in memoriam revocat, scl. 1258 et 731 § 2. Canonis 1258 imprimis in quaestionem venit § 2, qua statuitur: « Haud licitum est fidelibus quovis modo active assistere seu partem habere in sacris acatholicorum ». Hac paragrapho non solum prohibentur quae iam ex natura rei sunt interdicta (uti e. gr. omnis *participatio formalis* in cultu acatholico), sed vetitum ulterius procedit, prohibendo *omnem activam* assistentiam . Hic canon nihil habet de admissione acatholicorum ad cultum catholicum; nihilominus etiam huiusmodi communicatio est prohibita. Quoad hoc recurrendum ad aliunde nota principia doctrinae catholicae.

Eadem ratio prohibitionis non solum habetur quoad cultum *publicum* sed etiam quoad cultum *non-publicum*, in quo — etsi in casu particulari communicatio in cultu non-catholico non sit *formalis*, — tamen idem periculum interconfessionalismi vel falsi de unicitate religionis catholicae iudicii haud raro occurrit.

Unus modus communicationis illicitae (admittendo scl. acatholicos ad actus cultus catholici) in MONITO nominatim effertur eo quod allegatur canon 731 § 2, qui ita sonat: « Vetitum est Sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus(nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati

fuerint ». Quae doctrina iam ante Codicem a S. Officio inculcata fuit relate ad Sacramenta non danda schismaticis in periculo mortis positis et bona fide Sacramenta petentibus (Decretum d. d. 17 Maii 1916)[1]. — Quae denegatio sacramentorum minime habet rationem poenae propter « delictum » haeresis vel schismatis commissum, (quae suppositio contradiceret in pluribus casibus veritati rei), sed in eo fundatur quod Sacramenta a Christo exclusive concredita sunt suae Ecclesiae, ut ipsa ea dispenset inter homines: baptismum, quo homines Ecclesiae inserantur; alia sacramenta, ut ii tamquam membra Ecclesiae, modo et ordine a Christo statuto, iuventur et ad finem supernaturalem ducantur. Qui non sunt membra Ecclesiae — etsi sine omni propria culpa — iis Ecclesia dare non potest, quod Christus ei concredidit, non nisi filiisfamilias et membris Ecclesiae dandum.

Quae si prae oculis habentur, intellegitur, cur ultimo alinea MONITI urgeatur: quamlibet in sacris communicationem (sive activam in cultu acatholico, sive admissivam in cultu catholico) esse omnino prohibitam.

F. HÜRTH, S. I.

---

[1] De eadem re S. Officium fusius egit in Decreto d. d. 29 Oct. 1941, dato ad Rev.mum Dr. P. Werhun, tunc temporis Visitatorem Apostolicum pro Ucrainis in Germania, qui inter alia exposuerat: schismaticos, quando ministros schismaticos adire nequeant, petere auxilium sacerdotis catholici, maxime in gravi morbo, et postulare sacramenta; item eos, si deest proprius minister schismaticus, offerre sacerdoti catholico filios suos baptizandos. Quaesierat Visitator Apostolicus, an his (aliisque) schismaticorum desideriis obsecundare sacerdoti catholico liceat. S. Officium respondit afferendo tenorem canonis 731 § 2, dein pergit: « Etiam cum in periculo mortis constituuntur, requiritur ut meliori quo fieri potest modo (pro rerum et personarum adiunctis) saltem implicite errores reiiciant et fidei professionem faciant ». « Pueri autem a parentibus schismaticis oblati ut baptizentur, extra mortis periculum a sacerdote catholico generatim baptizandi non sunt, nisi probabilis spes effulgeat catholicae educationis (can. 751). (Publicatum in *Monitore ecclesiastico*, 1942, pag. 114-115).

6 - S. Congregatio de P. Fide

(*AAS.* XL [28 ian. 1948] p. 17).

DECRETUM

DE CONFIRMATIONE ADMINISTRANDA IIS, QUI EX GRAVI MORBO IN PERICULO MORTIS SUNT CONSTITUTI.

Post latum a Sacra Congregatione de Disciplina Sacramentorum decretum « Spiritus Sancti munera » diei XIV Septembris an. 1946 (cf. *Acta Apostolicae Sedis*, vol. XXXVIII, 1946, p. 349) ad Sacrum hoc Consilium Christiano nomini propagando plures Ordinariorum missionum preces, ad easdem amplioresve facultates obtinendas, pervenerunt.

Quas Ss.mus D. N. Pius Div. Prov. Papa XII, in Audientia diei XVIII huius mensis, referente infrascripto Cardinali Praefecto, benigne suscipere dignatus est.

Omnibus itaque Ordinariis locorum ab hac Sacra Congregatione de Propaganda Fide dependentibus potestatem Sanctissimus fecit, absque praeiudicio ceterorum indultorum quibus in re iam fruuntur, ut Sedis Apostolicae indulto (can. 782 § 2), tribuere valeant omnibus sacerdotibus sibi subditis curamque animarum gerentibus, facultatem sacram Confirmationem fidelibus sive adultis sive infantibus, intra fines missionalis circumscriptionis exstantibus et in mortis periculo constitutis, valide ministrandi; necnon lisite in ipso loco residentiae Episcopi, absente tamen quolibet Episcopo vel legitime impedito; servataque formula a Rituali Romano statuta.

Praesens vero decretum eadem Sanctitas Sua confici publicique iuris fieri mandavit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die XVIII mensis Decembris, anno Domini MCMXXXXVII.

P. Card. FUMASONI BIONDI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† C. Costantini, Arch. Theodos. in Arcadia, a *Secretis.*

7 - Commissio P. de Re Biblica

(*AAS.* XL [28 ian. 1948] p. 41).

I

RESPONSUM

DE USU NOVI PSALTERII LATINI EXTRA HORAS CANONICAS

Cum quaesitum fuerit utrum nova Psalmorum conversio ex primigeniis textibus facta, quae secundum litteras Apostolicas *Motu proprio* datas die 24 Martii 1945 in cotidianis precibus sive horis canonicis adhiberi potest, in ceteris liturgicis precibus ac caeremoniis licite adhibeatur.

Summus Pontifex Pius Papa XII, in audientia die 22 Octobris 1947 infrascripto benigne concessa, affirmative respondit, eamdem facultatem extendendo ad omnes preces tam liturgicas quam extraliturgicas, dummodo de *integris* psalmis extra Missam recitandis vel cantandis agatur.

Romae, die 22 Octobris 1947.

Iacobus M. Vosté, *Consultor ab actis.*

II

EPISTULA

(*AAS.* XL [28 ian. 1948] p. 45).

AD EM.UM P. D. EMMANUELEM CAELESTINUM TIT. SANCTI HONUPHRII S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM SUHARD, ARCHIEPISCOPUM PARISIENSEM: DE TEMPORE DOCUMENTORUM PENTATEUCHI ET DE GENERE LITTERARIO UNDECIM PRIORUM CAPITUM GENESEOS.

Eminence,

Le Saint-Père a bien voulu confier à l'examen de la Commission Pontificale pour les Etudes Bibliques deux

questions, qui ont été récemment soumises à Sa Sainteté au sujet des sources du Pentateuque et de l'historicité des onze premiers chapitres de la Genèse. Ces deux questions, avec leurs considérants et voeux, ont été l'objet de l'étude la plus attentive de la part des Rév.mes Consulteurs et des Em.es Cardinaux Membres de la dite Commission. Comme suite de leurs délibérations Sa Sainteté a daigné approuver la réponse suivante dans l'audience concédée au soussigné en date du 16 janvier 1948.

La Commission Pontificale Biblique se plaît à rendre hommage au sentiment de filiale confiance qui a inspiré cette démarche et désire y correspondre par un effort sincère de promouvoir les études bibliques en leur assurant, dans les limites de l'enseignement traditionnel de l'Eglise, la plus entière liberté. Cette liberté a été affirmée en termes explicites par l'Encyclique du Souverain Pontife glorieusement régnant *Divino afflante Spiritu* en ces termes: « L'exégète catholique, poussé par un amour de sa science actif et courageux, sincèrement dévoué à notre Mère la Sainte Eglise, ne doit, en aucune façon, se défendre d'aborder, et à plusieurs reprises, les questions difficiles qui n'ont pas encore été résolues jusqu'ici non seulement pour repousser les objections des adversaires, mais encore pour tenter de leur trouver une solide explication, en accord parfait avec la doctrine de l'Eglise, spécialement avec celle de l'inerrance biblique, et capable en même temps de satisfaire pleinement aux conclusions certaines des sciences profanes. Les efforts de ces vaillants ouvriers dans la vigne du Seigneur méritent d'être jugés, non seulement avec équité et justice, mais encore avec une parfaite charité; que tous les autres fils de l'Eglise s'en souviennent. Ceux-ci doivent se garder de ce zèle tout autre que prudent, qui estime devoir attaquer ou tenir en suspicion tout ce qui est nouveau » (*A. A. S.*, 194v, p. 319; éd. française, pag. 23).

Qu'on veuille bien comprendre et interpréter, à la

lumière de cette recommandation du Souverain Pontife, les trois réponses officielles données jadis par la Commission Biblique à propos des questions susmentionnées, à savoir le 23 juin 1905 sur les récits qui n'auraient d'historique que l'apparence dans les livres historiques de la Sainte Ecriture (*Ench. Bibl.* 154), le 27 juin 1906 sur l'authenticité mosaïque du Pentateuque (*Ench. Bibl.* 174-177), et le 30 juin 1909 sur le caractère historique des trois premiers chapitres de la Genèse (*Ench. Bibl.* 332-339), et l'on concédera que ces réponses ne s'opposent nullement à un examen ultérieur vraiment scientifique de ces problèmes d'après les résultats acquis pendant ces quarante dernières années. En conséquence, la Commission Biblique ne croit pas qu'il y a lieu de promulguer, du moins pour le moment, de nouveaux décrets à propos de ces questions.

En ce qui concerne la composition du Pentateuque, dans le décret susmentionné du 27 juin 1906 la Commission Biblique reconnaissait déjà que l'on pouvait affirmer que Moïse, « pour composer son ouvrage, s'est servi de documents écrits ou de traditions orales » et admettre aussi des modifications et additions postérieures á Moïse (*Ench. Bibl.* 176-177). Il n'est plus personne aujourd'hui qui mette en doute l'existence de ces sources et n'admette un accroissement progressif des lois mosaïques dú aux conditions sociales et religieuses des temps postérieurs, progression qui se manifeste aussi dans les récits historiques. Cependant, même dans le camp des exégètes non-catholiques, des opinions très divergentes sont professées aujourd'hui touchant la nature et le nombre de ces dodunents, leur dénomination et leur date. Il ne manque même pas d'auteurs, en différents pays, qui pour des raisons purement critiques et historiques, sans aucune intention apologétique, rejettent résolument les théories les plus en vogue jusqu'ici et cherchent l'explication de certaines particularités rédactionnelles du Pentateuque, non

pas tant dans la diversité des documents supposés, que dans la psychologie spéciale, dans les procédés particuliers, mieux connus aujourd'hui, de la pensée et de l'expression des anciens Orientaux, ou encore dans le genre littéraire différent postulé par la diversité des matières. C'est pourquoi nous invitons les savants catholiques à étudier ces problèmes sans parti-pris, à la lumière d'une saine critique et des résultats des autres sciences intéressées dans ces matières, et une telle étude établira sans doute la grande part et la profonde influence de Moïse comme auteur et comme législateur.

La question des formes littéraires des onze premiers chapitres de la Genèse est bien plus obscure et complexe. Ces formes littéraires ne répondent à aucune de nos catégories classiques et ne peuvent pas être jugées à la lumière des genres littéraires gréco-latins ou modernes. On né peut donc en nier ni affirmer l'historicité en bloc sans leur appliquer indûment les normes d'un genre littéraire sous lequel ils ne peuvent pas être classés. Si l'on s'accorde à ne pas voir dans ces chapitres de l'histoire au sens classique et moderne, on doit avouer aussi que les données scientifiques actuelles ne permettent pas de donner une solution *positive* à tous les problèmes qu'ils posent. Le premier devoir qui incombe ici à l'exégèse scientifique consiste tout d'abord dans l'étude attentive de tous les problèmes littéraires, scientifiques, historiques, culturels et religieux connexes avec ces chapitres; il faudrait ensuite examiner de près les procédés littéraires des anciens peuples orientaux, leur psychologie, leur manière de s'exprimer et leur notion même de la vérité historique; il faudrait, en un mot, rassembler sans préjugés tout le matériel des sciences paléontologique et historique, epigraphique et littéraire. C'est ainsi seulement qu'on peut espérer voir plus clair dans la vraie nature de certains récits des premiers chapitres de la Genèse. Déclarer à priori que leurs récits ne contiennent pas de l'histoire

au sens moderne du mot, laisserait facilement entendre qu'ils n'en contiennent en aucun sens, tandis qu'ils relatent en un langage simple et figuré, adapté aux intelligences d'une humanité moins développée, les vérités fondamentales présupposées à l'économie du salut, en même temps que la description populaire des origines du genre humain et du peuple élu. En attendant il faut pratiquer la patience qui est prudence et sagesse de la vie. C'est ce que le Saint-Père inculque également dans l'Encyclique déjà citée: « Personne, dit-il, ne doit s'étonner qu'on n'ait pas encore tiré au clair, ni résolu toutes les difficultés... Il ne faut pas, pour autant, perdre courage, ni oublier que dans les disciplines humanines il ne peut en être autrement que dans la nature, où ce qui commence croît peu à peu, où les fruits ne se recueillent qu'après de longs travaux... On peut donc espérer que (ces difficultés), qui aujourd'hui paraissent les plus compliquées et les plus ardues, s'ouvriront enfin un jour, grâce à un effort constant, à la pleine lumière » (*ibid.*, p. 318; éd. fr. p. 22).

En baisant la Pourpre Sacrée avec les sentiments de la plus profonde vénération, je me professe

de Votre Eminence Révérendissime
le très humble serviteur
JACQUES M. VOSTÉ, O. P.
Secrétaire de la Commission Pontificale
pour les Etudes Bibliques

Rome, 16 janvier 1948.

ACTA SUMMATIM RELATA

8 - SS. D. Pius Pp. XII

A — Litterae Apostolicae *Piissima eximiaque,* 30 iulii 1946, quibus ecclesia Praeposituralis Sanctis Victoris Martyris, in oppido vulgo « Missaglia » nuncupato, intra fines Mediolanensis Archidioecesis, Basilicae Minoris titulo ac dignitate decoratur (*AAS* XXXIX [7 octobris 1947] p. 439).

B — Epistula *Immaculato Deiparae Cordi,* 23 decembris 1946, ad Emos PP. DD. AUGUSTINUM tit. S. Mariae de Pace S. R. E. Presbyterum Card. HLOND, Archiepiscopum Gnesensem et Varsaviensem, ADAMUS STEPHANUM tit. S. Mariae Novae S. R. E. Presbyterum Card. SAPIEHA, Archiepiscopum Cracoviensem, ceterosque Poloniae Archiepiscopos, Episcopos, locorumque Ordinarios: officiosis litteris respondens ex episcopali coetu Coestochoviensi datis (*AAS* XL [28 ianuarii 1948] p. 33).

C — Epistula *Venerandam vetustamque,* 12 aprilis 1947, ad Emum P. D. EMMANUELEM tit. S. Vitalis Presbyterum Cardinalem ARCE Y OCHOTORENA, Archiepiscopum Tarraconensem, Legatum Summi Pontificis ad Sanctuarium B. Mariae V. de Monte Serrato Hispaniensi (*AAS* XXXIX [7 octobris 1947] p. 442).

D — Litterae Apostolicae *Providentissimum Deum,* 13 aprilis 1947, quibus Venerabilis Servus CONTARDUS FERRINI, vir laicus, Beatus renuntiatur (*AAS* XL [28 ianuarii 1948] p. 18).

E — Litterae Apostolicae *Christiani palmarum martyrii,* 27 aprilis 1947, quibus Venerabilis Dei Famula MARIA GORETTI, Virgo et Martyr, Beata renuntiatur (*AAS* XL [28 ianuarii 1948] p. 26).

F — Constitutio Apostolica *Nyassae* (Nyassae septentrionalis), 8 maii 1947, qua e Vicariatu Apost. Nyassae pars septentrionalis separatur et nova erigitur Praefectura Apostolica Nyassae septentrionalis (*AAS* XXXIX [7 octobris 1947] p. 432).

G — Litterae Apostolicae *Ad unitatem Fidei,* 8 maii 1947, quibus Ecclesia Collegiata et Praeposituralis Dei in honorem Sancti Victoris M. dicata in civitate Intra, Novariensis dioecesis, Basilicis Minoribus accensetur (*AAS* XL [27 februarii 1948] p. 68).

H — Litterae Apostolicae *Coruscantis sideris*, 9 maii 1947, quibus Templum Trecorensis civitatis, in Briocensi dioecesi, titulo ac privilegiis Basilicae Minoris decoratur (*AAS* XL [27 februarii 1948] p. 70).

I — Litterae Decretales *Periucundum nobis*, 15 maii 1947, quibus Beato NICOLAO DE FLÜE Sanctorum honores decernuntur (*AAS* XL [27 februarii 1948] p. 49).

K — Constitutio Apostolica *Glasguensis et Candidae Casae seu Gallovidiensis* (*Matrisfontis-Pasletana*), 26 maii 1947, qua ab Archidioecesi Glasguensi tres separantur territorii partes, quarum una Dioecesi Candidae Casae seu Gallovidiensi adiungitur, duae aliae in novas Dioeceses, sub nomime Matrisfontis et Pasletanae, eriguntur (*ASS* XXXIX [7 novembris 1947] p. 473).

L — Constitutio Apostolica *Glasguensis*, 25 maii 1947, qua Archiepiscopalis Ecclesia Glasguensis in Metropolitanam erigitur atque nova constituitur Provincia ecclesiastica (*AAS* XXXIX [7 novmbris 1947] p. 476).

M — Constitutio Apostolica *Gaoensis* (Nouensis), 12 iunii 1947, qua e Praefectura Apostolica Gaoensi pars distrahitur et nova erigitur Praefectura Apostolica Nouensis (*AAS* XXXIX [7 octobris 1947] p. 433).

N — Constitutio Apostolica *De Bolo-Dioulasso* (Sikassensensis), 12 iunii 1947, qua e Vicariatu Apostolico De Bobo-Dioulasso territorii pars dismembratur, quae in novam erigitur Praefecturam Apostolicam « Sikassen » nomine appellandam (*AAS* XXXIX [7 octobris 1947] p. 435).

O — Constitutio Apostolica *Accraënsis*, 12 iunii 1947, qua Praefectura Apostolica Accraënsis, finibus aliquantum ampliatis, in Vicariatum Apostolicum evehitur (*AAS* XXXIX [7 octobris 1947] p. 436).

P — Constitutio Apostolica *De Bamako* (Kayesensis), 12 iunii 1947), qua e Vicariatu Apostolico de Bamako territorii pars distrahitur, quae in novam erigitur Praefecturam Apostolicam sub nomine Kayesensem (*AAS* XXXIX [7 octobris 1947] p. 438).

Q — Epistula *Nous avons* lu, 18 iulii 1947, ad egregium virum CAROLUM FLORY, Praesidem Coetus conventibus catholicorum « Semaines Sociales » in Gallia apparandis (*AAS* XXXIX [7 octobris 1947] p. 444).

R — Constitutio Apostolica *S. Fidei in Argentina*, 19 iulii 1947, qua Capitulum Metropolitanum erigitur et constituitur (*AAS* XL [27 februarii 1948] p. 64).

S — Constitutio Apostolica *Guaxupensis*, 19 iulii 1947, qua

Capitulum Cathedrale erigitur (*AAS* XL [27 februarii 1948] p. 66).

T — Epistula *Decem ab inito sacerdotio,* 6 augusti 1947, ad Emum P. D. IOSEPHUM ERNESTUM tit. Sanctae Mariae de Aracoeli S. R. E. Presbyterum Cardinalem VAN ROEY, Archiepiscopum Mechliniensem, dena sacerdotii lustra fauste celebraturum (*AAS* XXXIX [7 octobris 1947] p. 447).

U — Epistula *Divinae Providentiae confidere,* 7 augusti 1947, ad R. P. IOANNEM LLABRÉS, Ordinis Clericorum Regularium vulgo Theatinorum Praepositum Generalem: quarto vertente saeculo ab obitu Sancti Caietani Thienensis (*AAS* XXXIX [7 octobris 1947] p. 448).

V — Litterae Apostolicae *Arridet in caelis,* 12 augusti 1947, quibus Cathedralis Ecclesia Deo in honorem Sancti Michaëlis Archangeli dicata in civitate ac dioecesi Sancti Angeli in Vado titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoratur (*AAS* XL [23 martii 1948] p. 102).

U — Epistula *Laeto admodum animo,* 15 augusti 1947, ad Emum P. D. IOANNEM tit. Sancti Clementis S. R. E. Presbyterum Cardinalem DE JONG, Archiepiscopum Ultraiectensem, quem Legatum deligit ad Marialem Conventum e tota Hollandia Traiecti ad Mosam celebrandum (*AAS* XXXIX [7 octobris 1947] p. 451).

Y — Litterae Apostolicae *Pro supremi,* 23 augusti 1947, quibus Internuntiatura Apostolica in Aegypti Regno erigitur (*AAS* LX [27 februarii 1948] p. 72).

Z — Epistula *C'est un sujet,* 31 augusti 1947, ad R. P. IOSEPHUM ARCHAMBAULT, S. I., Praesidem Coetus conventibus catholicorum « Semaines Sociales » in Canada apparandis (*AAS* XXXIX [7 novembris 1947] p. 478).

AA — Nuntius Radiophonicus, 5 septembris 1947 Christifidelibus datus ob Conventum Marialem e tota Hollandia traiecti ad Mosam coadunatis (*AAS* XXXIX [7 octobris 1947] p. 456).

BB — Allocutio 7 septembris 1947 habita coram multitudine ex hominibus ab Actione Catholica cunctarum Italiae dioecesium Romae coadunatis, una simul cum ceteris de populo Urbis ante Basilicam Vaticanam veneratissimo Patri acclamantibus (*AAS* XXXIX [7 octobris 1947] p. 425).

CC — Allocutio 11 septembris 1947 habita ad Delegatas Unionis internationalis Sodalitatum mulierum Catholicarum ob communem Conventum Romae coadunatas (*AAS* XXXIX [7 novembris 1947] p. 480).

DD — Homilia 18 septembris 1947 habita inter Missarum sollemnia celebrata in Basilica Patriarcali S. Pauli extra moenia

ob decimum quartum exectum saeculum ob obitu S. Benedicti Nursini (*AAS* xxxix [7 octobris 1947] p. 452).

EE — Epistula *Tertio Nostri Pontificatus*, 2 octobris 1947, ad Emum P. D. Dominicum tit. Sancti Apollinaris S. R. E. Presbyterum Cardinalem Jorio, Sacrae Congregationis de Disciplina Sacramentorum Praefectum, natalem diem octogesimum feliciter impleturum (*AAS* xxxix [7 octobris 1947] p. 452).

FF — Allocutio 17 octobris 1947 habita ad Legatum Aegypti (*AAS* xxxix [7 novembris 1947] p. 488).

GG — Allocutio 28 octobris 1947 habita ad Legatum Reipublicae Salvatorianae (*AAS* xxxix [7 novembris 1947] p. 491).

HH — Allocutio, 29 octobris 1947 habita ad Praelatos Anditores ceterosque Officiales et Administros Tribunalis Sacrae Romanae Rotae necnon eiusdem Tribunalis Advocatos et Procuratores (*AAS* xxxix [7 novembris 1947] p. 493).

II — Allocutio, 1 novembris 1947 habita ad Legatum Boliviae (*AAS* xxxix [7 novembris 1947] p. 498).

KK — Allocutio, 19 novembris 1947, habita ad christifideles qui Romam convenerant ad Beatificationem Ioannae Delanoue celebrandam (*AAS* xl [28 ianuarii 1948] p. 36).

LL — Constitutio Apostolica *S. Antonii-Galvestioniensis-Dallasensis* (*Austiniensis*), 15 novembris 1947, qua nova dioecesis Austiniensis erigitur ex dioecesium S. Antonii, Galvestoniensis et Dallasensis territorio avulso (*AAS xl* [23 martii 1948] p. 97).

MM — Constitutio Apostolica *Baltimorensis et Washingtonensis*, 15 novembris 1947, qua Archidioecesis Washingtonensis a metropolitana Ecclesia Baltimorensi seiungitur et Sedi Apostolicae immediate subiicitur, illarumque territorii limites paulisper immutantur (*AAS* xl [23 martii 1948] p. 100).

NN — Constitutio Apostolica *Tucamanensis*, 29 novembris 1947, qua Dioecesis Tucumanensis capitulum Cathedrale erigitur (*AAS* xl [27 aprilis 1948] p. 140).

OO — Constitutio Apostolica, 30 novembris 1947, De sacris Ordinibus diaconatus, presbyteratus et episcopatus (*AAS* xl [28 ianuarii 1948] p. 5).

PP — Epistula *Dum non pauci hodie*, 5 decembris 1947, ad RR. PP. Clementem a Milwaukee, Ordinis Fratrum Minorum Cappuccinorum Ministrum Generalem, Bedam M. Hess, Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Ministrum Generalem, Pacificum M. Perantoni, Ordinis Fratrum Minorum Ministrum Generalem: quinto vertente saeculo ab obitu claralis virginis Sanctae Coletae a Corbeia (*AAS* xl [23 martii 1948] p. 104).

QQ — Constitutio Apostolica *Einsiedlensis,* 13 decembris 1947, qua Abbatia *nullius* Einsiedlensis iterum recongnoscitur et privilegiis donatur (*AAS* XL [27 aprilis 1948] p. 142).

RR — Motu proprio, 16 decembris 1947, de facultate audiendi confessiones sacerdotibus aërium iter arripientibus concedenda (*AAS* XL [28 ianuarii 1948] p. 17).

SS — Nuntius Radiophonicus, 24 decembris 1947, universo orbi datus in pervigilio Nativitatis D. N. I. C. (*AAS* XL [28 ianuarii 1948] p. 8).

TT — Allocutio, 8 ianuarii 1948, habita ad Legatum Reipublicae Dominicanae (*AAS* XL [27 februarii 1948] p. 73).

UU — Epistula *Ex officiosis litteris,* 15 anuarii 1948, ad Excmum P. D. LUCIANUM LEBRUN, Episcopum Augustodunensem, Cabillonensem et Matisconensem: ob commemorationem praedicationis a S. Ioanne Eudes, sub praesidio Immaculati Cordis B. Mariae V., tribus abhinc saeculis inceptae, in Augustodunensi dioecesi (*AAS* XL [23 martii 1948] p. 106.

VV — Nuntius Radiophonicus, 1 februarii 1948, clero et populo Argentinae Reipublicae, pro nationibus indigentibus auxilia praestantibus (*AAS* XL [27 februarii 1948] p. 85).

XX — Allocutio, 8 februarii 1948, habita decimo secundo ineunte anno Pont. Academiae Scientiarum, adstantibus Emis PP. Cardinalibus, Excmis Viris Exterarum Nationum Legatis ac eiusdem Academiae Sociis (*AAS* XL [27 februarii 1948] p. 75).

YY — Nuntius Radiophonicus, 14 februarii 1948, habitus alumnis scholarum catholicarum Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis ad sollicitandam caritatem erga pueros indigentes Europae et Asiae orientalis, ne fame pereant (*AAS* XL [27 februarii 1948] p. 88).

ZZ — Epistula *The approaching reestablishment,* 18 februarii 1948, ad Emos ac Revmos PP. DD. Cardinales Archiepiscopos et Excmos PP. DD. Archiepiscopos, Episcopos locorumque Ordinarios Foederatorum Statuum Americae Septentrionalis: de ampliori extruendo Pontificio Collegio suis clericis efformandis ac de Instituto concedendo sacerdotibus ad altiora studia provehendis in Urbe (*AAS* XL [23 martii 1948] p. 108).

*A** — Allocutio, 6 martii 1948, habita ad novum Legatum Argentinae Reipublicae (*AAS* XL [23 martii 1948] p. 112).

*B** — Epistula *Oblectamentum non modicum,* 10 martii 1948, ad Emum P. D. IOANNEM tit. S. Clementis S. R. E. Presbyterum Cardinalem DE JONG, Archiepiscopum Ultraiectensem: saeculo elapso a libera scholarum institutione Batavis catholicis recognita (*AAS* XL [23 martii 1948] p. 110).

*C** — Hortatio Pastoralis, 10 martii 1948, habita ad parochos Urbis et concionatores sacri temporis quadragesimalis (*AAS* XL [23 martii 1948] p. 115).

*D** — Epistula *In primordiis Nostri Pontificatus*, 18 martii 1948, ad Emum P. D. ALOISIUM tit. Sancti Silvestri in Capite S. R. E. Presbyterum Cardinalem LAVITRANO, Praefectum Sacrae Congregationis negotiis religiosorum sodalium praepositae, dena sacerdotii lustra feliciter explentem (*AAS* XL [23 martii 1948] p. 111).

*E** — Allocutio, 28 martii 1948, habita ad populum Urbis in die Paschatis Resurrectionis D. N. I. C. (*AAS* XL [27 aprilis 1948] p. 137).

*F** — Epistula *Haud parva animi*, 4 aprilis 1948, ad Emum P. D. IOSEPHUM Diaconum Sancti Eustachii S. R. E. Cardinalem BRUNO, annum a suscepto sacerdotio quinquagesimum fauste celebraturum (*AAS* XL [27 aprilis 1948] p. 143).

*G** — Sermo, 5 aprilis 1948, habitus ad christifideles Romae coadunatos ad beatificationem Fratris BENILDI celebrandam (*AAS* XL [27 aprilis 1948] p. 144).

9 - Sacra Congregatio Consistorialis

1 - *Conversanensis et Monopolitanae*. Decretum, 18 ianuarii 1947, de finium dioesium immutatione (*AAS* XXXIX [7 novembris 1947] p. 500).

2 - *Aretina et Pientina - S. Mariae Montis Oliveti Maioris.* Decretum 10 maii 1947 de finibus immutandis (*AAS* XL [27 februarii 1948] p. 90).

10 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide

1 - Decretum 8 iunii 1947, quo Delegatio Apostolica hucusque Australasiae, deinceps « Australiae, novae Zeelandiae et Oceaniae » appellabitur (*AAS* XXXIX [7 novembris 1947] p. 501).

2 - *De Beni - De Kivu*. Decretum 12 iunii 1947, de finium immutatione (*AAS* XXXIX [7 octobris 1947] p. 460).

3 - *Litoris aurei - Accraënsis*. Decretum 12 iunii 1947 de finium immutatione (*AAS* XXXIX [7 octobris 1947] p. 461).

4 - Decretum 10 iulii 1947, quo Praefectura Apostolica Misuratensis Ordinis Fratrum Minorum curis committitur (*AAS* XXXIX [7 octobris 1947] p. 461).

5 - *De Majunga - De Ambanja.* Decretum 19 iulii 1947, de finium immutatione (*AAS* XXXIX [7 octobris 1947] p. 462).

6 - Decretum, 17 iulii 1947, quo pro missionibus Coreae Visitator Apostolicus nominatur (*AAS* XXXIX [7 octobris 1947] p. 463).

7 - Decretum 18 decembris 1947, de Confirmatione administranda iis, qui ex gravi morbo in periculo mortis sunt constituti (*AAS* XL [28 ianuarii 1948] p. 41).

8 - *Soeiiüenen. - Nimsciian.* Decretum 8 ianuarii 1948 de mutatione finium dioecesium (*AAS* XL [27 februarii 1948] p. 93).

9 - *Sivanzean-Siüenhoaven.* Decretum, 8 ianuarii 1948 de mutatione finium dioecesium ac sedis episcopalis translatione (*AAS* XL [23 martii 1948] p. 121).

11 - Sacra Congregatio de Religiosis

Notificatio, 12 februarii 1948, de 5 mulieribus in Anglia ad nullum religiosum Institutum pertinentibus (*AAS* XL [27 februarii 1948] p. 93).

12 - Sacra Congregatio Rituum

1 - *Anicien.* Decretum 5 iunii 1947 de « Tuto » pro beatificatione Servi Dei fratris BENILDI, religiosi professi ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum (*AAS* XXXIX [7 octobris 1947] p. 463).

2 - *Quiten.* Decretum 13 iunii 1946 introductionis causae pro beatificatione Servi Dei IOSEPHI MARIAE YEROVI, religiosi professi Ordinis Fratrum Minorum, Episcopi Cydonien. et coadiutoris Archiepiscopi Quiten. (*AAS* XL [23 martii 1948] p. 122).

3 - *Nepesina.* Decretum 13 iunii 1947 introductionis causae pro beatificatione Servae Dei FRANCISCAE STREITEL, fundatricis Instituti a Matre Dolorosa (*AAS* XXXIX [7 novembris 1947] p. 502).

4 - *Neapolitana.* Decretum 3 augusti 1947 introductionis causae pro beatificatione Servi Dei XYSTI RIARIO et Dynastis SFORZA (*AAS* XXXIX [7 novembris 1947] p. 504).

5 - *Albanen.* Decretum 3 augusti 1947 reassumptionis causae pro canonizatione Beatae MARIAE GORETTI, V. M. (*AAS* XL [28 ianuarii 1948] p. 42).

6 - Monitum, 18 decembris 1947, de causa beatificationis Servi Dei Guy de Fontgalland omnino reponenda.

7 - *Lucen.* Decretum 18 ianuarii 1948 de virtutibus pro beatificatione Ven. Servi Antonii Mariae Pucci, sacerdotis professi Ordinis Servorum Mariae, parochi S. Andreae in civitate « Viareggio » (*AAS* xl [27 aprilis 1948] p. 153).

Burdigalen. Decretum 19 martii 1948 de miraculis pro canonizatione B. Ioannae de Lestonnac, viduae, fundatricis Ordinis Filiarum B. Mariae Virginis (*AAS* xl [27 aprilis 1948] p. 156).

In sectione liturgica:

Urbis et Orbis. Decretum 27 februarii 1948, quo ellogia in Martyrologio Romano inserenda approbantur (*AAS* xl [23 martii 1948] p. 124).

13 - Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus

1 - Decretum, 28 ianuarii 1947, quo Pontificia Studiorum Universitas in urbe Fluminis Ianuarii canonice erigitur (*AAS* xl [28 ianuarii 1948] p. 43).

2 - Decretum 25 ianuarii 1948, quo Hibernicum Collegium in Urbe « Pontificio » titulo decoratur (*AAS* xl [27 aprilis 1948] p. 158).

14 - Sacra Paenitentiaria Apostolica

Decretum 23 februarii 1948, quo plenaria conceditur indulgentia in fidelium solamen causa postremi belli vita functorum (*AAS* xl [27 februarii 1948] p. 94).

15 - Pontificia Commissio de re biblica

1 - Responsum 22 octobris 1947, de usu novi Psalterii latini extra horas canonicas (*AAS* xxxix [7 novembris 1947] p. 508).

2 - Epistula 16 ianuarii 1948 ad Emum P. D. Emmanuelem Caelestinum tit. Sancti Honuphrii S. R. E. Presbyterum Cardinalem Suhard, Archiepiscopum Parisiensem: de tempore documentorum Pentateuchi et de genere litterario undecim priorum capitum Geneseos (*AAS* xl [28 ianuarii 1948] p. 45).

16 - S. Romana Rota

Tabulae Synopticae Causarum

Anno 1946

I

Causae iudicatae

A. - De matrimonio

CAUSAE	Iud.	Aff.	Neg.
NULLITATIS			
Ob amentiam mulieris	1	1	
Ob exclusionem boni prolis	2	1	1
» » » » et ob vim et metum	1	1	
Ob exclusionem boni prolis et boni sacramenti	1	1	
Ob exclusionem boni sacramenti et boni prolis	1		1
(dispensatio super rato)	(1)		(1)
Ob clandestinitatem	1		1
Ob conditionem appositam	1		1
» » contra bonum prolis . . .	1		1
» » appositam et ob exclusum bonum prolis	1	1	
Ob conditionem appositam, ob simulationem consensus	1		1
Ob defectum consensus	2	1	1
» » » , exclusam indissolubilitatem, ob appositam condicionem, ob impotentiam mulieris	1		1
(dispensatio super rato)	(1)		(1)

CAUSAE	Iud.	Aff.	Neg.
Ob impedimentum consanguinitatis	1	1	
» » criminis	1	1	
» » ligaminis	1	1	
» » raptus, ob defectum consensus	1		1
Ob impedimentum raptus, ob vim et metum .	1	1	
Ob impotentiam mulieris	3		3
(dispensatio super rato)	(3)	(2)	(1)
Ob impotentiam viri	5	2	3
(dispensatio super rato)	(2)	(1)	(1)
Ob exclusam indissolubilitatem	1		1
Ob simulationem consensus et ob exclusionem boni prolis	1	1	
Ob simulationem consensus, ob exclusionem boni sacramenti et prolis	1	1	
Ob simulationem consensus, ob vim et metum, ob raptum	1		1
Ob vim et metum	27	18	9
(dispensatio super rato)	(1)	(1)	
Ob vim et metum et ob exclusum bonum prolis .	1	1	
» » » » et ob ignorantiam naturae matrimonii	1		1
Ob vim et metum et ob simulationem consensus .	2		2
(dispensatio super rato)	(1)	(1)	
	62	33	29

B. - De aliis argumentis

Una: possessionis et iurium.

II

Causae quae eodem anno 1946 *transactae fuerunt, vel quae abque definitiva sententia, ex peculiaribus circumstantiis, finem habuerunt; quibus adduntur decreta quoad recursus contra libellorum reiectionem.*

A. - De matrimonio

Nullitatis	
Ob amentiam mulieris	2
» » » et ob vim vel metum .	1
Ob exclusionem boni prolis	7
Ob clandestinitatem	2
» » et ob impedimentum consanguinitatis	1
Ob condicionem appositam	2
» » contra indissolubilitatem . .	1
Ob defectum consensus	3
Ob errorem et ob defectum consensus . . .	1
Ob impedimentum ligaminis	1
Ob impotentiam mulieris	1
» » viri	4
Ob impotentiam viri et ob defectum consensus .	1
Ob vim et metum	22
» » » » et simulationem consensus .	2
Nullitatis	1
Separationis	4
Incidentis	3
Reiectio libelli	1
	60

B. - De variis argumentis

Causae 7: 3 de iuribus, 1 de nullitate contractus, 1 Piae Fundationis, Incidentis de lite finita et de competentia, 1 poenarum, 1 proprietatis.

N. B. - *Ex* 63 *causis sub I allegatis,* 28 *causae peractae sunt cum gratuito patrocinio.*

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

LUDOVICUS BENDER O. P., *Philosophia iuris*, Romae, Officium Libri Catholici, 1947, 16×22 cm., 233 pag.

De natura et utilitate philosophiae iuris. Theses praeliminares. De natura sociali hominis. Ius utpote facultas. De subiecto iuris. Ogligatio iuridica. Lex utpote norma iuris, De coactivitate iuris. De divisione iuris. Ius naturale. Ius positivum. Ordo moralis et ordo iuridicus.

ALFREDO BOSCHI S. I., *Nuove questioni matrimoniali*, 2ª edit., Torino, Marietti, 1947, 12×17 cm., 340 pag.

I. - *La lotta contro l'onanismo.* - Il male. I danni. Il disordine. Scuse e pretesti. Norme per i confessori. Prassi pastorale. — II. *Diritti e doveri dei coniugi.* Liceità dei rapporti sessuali fra i coniugi. Obbligatorietà dei rapporti sessuali fra i coniugi. Matrimoni e fecondità. Castità coniugale. Alcune circostanze dell'atto coniugale. — III. *La continenza periodica nel matrimonio*: Inquadramento storico. Elementi scientifici. Applicazioni pratiche e metodi di calcolo. Valore della continenza periodica. L'aspetto morale del problema. Norme pratiche per i confessori. — IV. *Eugenetica e i suoi postulati.* Esame delle teorie eugeniche. — V. *La fecondazione artificiale della donna.* Il problema. Applicazioni pratiche. Complessità di aspetti. Valutazione morale.

CAROLUS BOZZOLA S. I., *De sacramentis* (Cursus theologicus a professoribus facultatum Cheriensis et Kurulitanae exaratus, vol. IV), Neapoli, M. D'AURIA, 1948, 16×24 cm., p. 338.

FRANCISCUS X. CALCAGNO S. I., *Theologia fondamentalis* (Cursus theologicus a professoribus facultatum Cheriensis et Kurulitanae exaratus, vol. I),, Neapoli, M. D'AURIA, 1948, 16×24 cm., 323 pag.

JULIUS DAVILA S. I. *Critica* (Cursus philosophicus Collegii maximi Ysletensis Societatis Iesu, pars II), Mexico, Buena Prense, 1947, 13×21 cm„ 306 pag.

De legitimitate certitudinis naturalis in genere. De ambitu cognitionis legitime certae. De legitimitatis certitudinis impugnationibus. Notiones veritatis et certitudinis evolvuntur.

E. IGLESIAS, *Vida y Luz, Comentarios al 4º evangelio*, tomi I et II, 2a edit., Mexico, Buena Prensa, 1947, 16,5×22,5 cm., 530 et 433 pag.

RENÉ METZ, *La monarchie française et la provision des bénéfices ecclésiastiques en Alsace de la paix de Westphalie à la fin de l'Ancien Régime* (1648-1789) (Etudes générales publiées sous les auspices de la Société d'Histoire de l'Eglise d'Alsace, tome I,) Strasbourg-Paris, Le Roux et Cie, 1947, 16×23 cm., 436 pag.

I. *Le régime bénéficial de l'Alsace de 1648 à 1789.* La complexité du problème. La dignité épiscopale. Les abbayes. Les chapîtres. Les curés, chapellenies et autres bénéfices simples. — II. *L'ingérence du gouvernement royal dans la provision des bénéfices d'Alsace.*

DANIEL OLMEDO S. I., *Manual de Historia de la Iglesia*, tomi I et II, Mexico, Buena Prensa, 1947, 16,5×22,5 cm., 289 et 282 p.

OLIS ROBLEDA 7.)., *La nulidad del acto jurídico; Su teoría en los códigos civiles francés, alemán, italiano, español y especialmente en el código de derecho canónico* (Publicaciones anejas a « Miscellanea Comillas », Serie canónica, volumen I), Comillas, Universidad Pontificia, 1937, 17×23 cm., 190 pag.

Concepto del acto jurídico. La nulidad en los códigos de derecho civil. La nulidad en el código de derecho canónico: la nulidad en el matrimonio; nulidad por falta de licencia; la nulidad en el processo canónico; criterios de nulidad en el código de derecho canónico.

W. H. VAN DE POL, *Het christelijk dilemma*: *Katholieke Kerk — Reformatie*, Roermond en Maaseik, J. J. Romen, 1948, 15,5×23,5 cm., 410 pag.

Het Absoluutheidskarakter van de Christusopenbaring. Katholicisme en Protestantisme. De Gelofsinhoud. Psychologische

Beletselen. Kerk en Wereld. Het Anglikanisme. De Bewegingen in het hedendaagsch Protestantisme. De Katholieke Kerk en de Oecumenische Beweginge.

Alphons van Kol s. i., *Christus' plaats in s. Thomas' moraalsysteem,* Een onderzoek van de Prima secundae (Bijdragen-bibliotheek uitgegeven door de philosophische en theologische faculteiten der Noord - en Zuid - Nederlandse Jezuieten, Deel I), Roermond-Maaseik, J. J. Romen, 1947, 16×24 cm., 143 pag.

Acta Academiae Velehradensis, Annus XVIII, fasc. 1-4, Olomucii 1947, 15×23 cm., 244 pag.

Dissertationes. Memento mortuorum. Annales. Notae bibliographicae et recensiones 1939-1946.

Sciences ecclésiastiques. Les Facultés de Théologie et de Philosophie de la Compagnie de Jésus à Montréal, Volume I, Montréal, L'Immaculée Conception, 1948, 16×24 cm., 253 pag.

Frédéric Saintonge, *Malheureux écarts. A propos du continu spacial.* — Achille Brunet, *Proverbes (22,17-24,22) et la possibilité d'une source égyptienne.* — François Bourassa, *Les missions divines et le surnaturel chez S. Thomas d'Aquin.* — Vincent Monty, *La nature du péché d'après le vocabulaire hébreu.* —Lucien Roy, *Désir naturel de voir Dieu: le R. P. de Lubac et S. Thomas.* — Paul Vanier, *La relation trinitaire dans la Somme Théologique de S. Thomas d'Aquin.* — Robert Bernier, *Unité pluraliste de l'autorité universelle.* — Georges van Belleghem, *L'usage illicite des connaissances acquises en confession.* — Notes et Mélanges. — Recensions.

Aurelius Yanguas s. i., *De crimine pessimo et de competentia Sti. Officii relate ad illud,* pp. 31.

II - Ex periodicis

CHINA MISSIONARY, vol. I (1948), n. 1 — x, *Les besoins de notre Apologétique dans les régions communistes,* p. 18-27. — P. Serruys, *Christian adaptation of wedding ceremonies,* p. 28-45. — P. R. Petit, *La jeunesse ouvrière chrétienne,* p. 61-78.

COLLECTANEA MECHLINIENSIA, t. XXXIII (XVIII) (1948), fasc. III (maii). — V. HEYLEN, *Liefdeplichten et Personalisme,* p. 257-275. — A. HOUSSIAU, *La formation della liturgie romaine du sacre épiscopal,* p. 276-284.

EPHEMERIDES LITURGICAE, vol. LXII (1948), fasc. I-II. — J. FROGER, *L'Alleluia dans l'usage romain,* p. 6-48.

IL DIRITTO ECCLESIASTICO, LVIII (1948), fasc. I (genn.-marzo). — G. OESTERLE, *De hermaphroditismo in sua relatione ad canonem 1068 C. I. C.,* p. 5-25. — LUIGI CAPALTI, *Fisiologici e canonisti nello studio dell'impedimentum impotentiae,* p. 26-33.

NEDERLANDSE KATHOLIEKE STEMMEN, XLIV (1948), fasc. 4 (apr.). — HERMAN J. H. M. FORTMANN, *De « theologie » van de H. Liturgie in « Mediator Dei »,* p. 81-90. — H. VAN DER MEULEN, *De Encycliek « Mediator Dei » en het Liturgisch Leven,* p. 90-101.

DISSERTATIONES ET QUAESITA VARIA

DEFECTUS CONSENSUS * IN MATRIMONIIS ACATHOLICORUM

1. In regionibus non-christianis atque etiam in christianis non-catholicis vel mixtis persuasio de solubilitate matrimonii est maxime sparsa, item praxis divortiorum cum sequenti transitu ad novas nuptias est frequentissima. His in regionibus haud raro accidit, ut, novis nuptiis bona fide initis, una vel altera vel etiam utraque pars fidem catholicam amplecti et in Ecclesiam catholicam recipi desideret. At huic desiderio obstat condicio matrimonialis, quae cum doctrina catholica de indissolubilitate matrimonii et de impedimento ligaminis, quo novum matrimonium, exsistente adhuc primi matrimonii vinculo, excluditur, componi non potest. Ex altera parte haud raro separatio coniugum gravibus difficultatibus est obnoxia.

Ut huic ad religionem catholicam transitus obstaculo occurratur, his nostris temporibus nonnulli, immo sat multi, denuo examinandam susceperunt quaestionem, num matrimonia, (inita ab hominibus, qui imbuti sint ideis indissolubilitati matrimonii contrariis; qui auctoritatem civilem, haud raro etiam religiosam, non agnoscere videant matrimonii indissolubilitatem; qui in suis legibus civi-

* Quae hoc articulo exhibentur, constituunt partem Iam discursus « *Hodierna problemata Ethicae matrimonialis* », ab auctore habiti in « *Hebdomada theologica* », diebus 20-25 septembris 1948 in Pontif. Universitate Gregoriana, Romae habita.

libus scriptum inveniant matrimonium saltem certas ob causas esse solubile; qui cognoscant tribunalia civilia quasi cotidie ferre sententias divortii; qui in vita sociali fere ubique animadvertant homines divortiatos ob suum agendi modum minime vilipendi): num matrimonia ab hominibus, in tali rerum et mentis condicione viventibus, inita censeri possint cum voluntate indissolubiliter contrahendi; ab hominibus, qui momento contractus saepe ne ideam quidem habuerint indissolubilitatis matrimonii. Censent igitur hi theologi et animarum pastores: omnia haec matrimonia iniri cum tacita condicione solubilitatis, eo scil. sensu, ut contrahentes sibi pro certis condicionibus in futuro forte occurrentibus reservent possibilitatem solvendi vinculum contractum. Unde deducunt: iudicium theoreticum, non minus quam practicum, in casibus particularibus debere esse hoc: matrimonia, inita ab huiusmodi hominibus in hujusmodi rerum condicione publica et privata positivis, *praesumenda esse nulla* ob defectum consensus, donec contrarium probetur: relinquendam autem esse normam hucusque servatam, vi cuius omnia haec matrimonia *praesumi debeant valida*, donec probetur contrarium.

In animo est hoc loco examinare, utrum necne serio cogitari debeat de peragenda consuetae praesumptionis mutatione relate ad matrimonia non-catholicorum; et num analysis, quam recentis huius opinionis defensores circa intentionem, quam acatholici momento contrahendi habeant, rei veritati correspondeat.

2. Principia a quibus tamquam a fundamento inquisitio procedere debeat, et secundum quae casus particulares solvendi sunt, assignari solent haec:

1) Matrimonium est invalidum quoties solubilitas fuerit posita sive explicite sive implicite tamquam *condicio* (cfr. can. 1092 n. 2), vel quoties solubilitas fuerit *obiectum specialis pacti*, contractui matrimoniali adiecti; vel tandem, quoties alio modo indissolubilitas matrimonii po-

sitivo voluntatis actu, explicito vel implicito, fuerit exclusa, (cfr. can. 1086 § 2).

2) Matrimonium non est invalidum, quoties in actu contrahendi solubilitas est solummodo obiectum « simplicis erroris », sive hic error est « mere concomitans » sive est error « dans causam contractui » (cfr. can. 1084). In priore casu solubilitas non est obiectum nisi *iudicii erronei* in intellectu; in secundo casu erronea opinio solubilitatis afficit quidem etiam voluntatem, sed solummodo movendo eam *ad* contrahendum. In neutro casu error de solubilitate intrat *in* obiectum, circa quod in ipso actu contractus versatur voluntas contrahendi, (quamvis sit *de* hoc obiecto); aliis verbis: in neutro casu solubilitas ipsa est « volita ».

3. Licet de his principiis, in se sumptis, una sit auctorum mens et sententia, in horum principiorum applicatione necnon in diudicanda « quaestione facti » quoad casus particulares haud levis est sentiendi et agendi diversitas. Quam e medio tollere *totam*, frustra quis aggrediatur; at, *notabiliter diminui* posse videtur, examinando magis in particulari principia et suppositiones, ex quibus sentiendi diversitas promanat, et quae in hac re discutienda semper de novo proferuntur et urgentur.

4. Et primo quidem ponitur principium: « *Obiectum appetitur tale quale cognoscitur* ». Iamvero — (ita quidam argumentantur) — ab acatholicis matrimonium cognoscitur solubile; ergo cum naturali et logica necessitate etiam appetitur seu « volitur » solubile.

Argumentum hoc laborat aliqua ambiguitate; nam non omne, quod est de obiecto « cognitum », est etiam « volitum ». Multa enim esse possunt in intellectu de obiecto voluntatis, quae tamen actum volendi non intrant. Hinc mera analysis notitiae intellectualis, quae de matrimonio momento contractus fuit in intellectu, non sufficit ad probandum, quid ex hac intellectus notitia intraverit in voluntatem contrahendi, et tali modo factum sit obiectum

consensus matrimonialis. Hinc, non obstante principio supra allato, esse potest, quod contrahens *iudicaverit* suum matrimonium esse solubile, neque tamen illud *voluerit* solubile seu voluerit « facere solubile ». Haec « quaestio facti » non ex mera de solubilitate opinione intellectus solvi potest, sed aliunde debet solvi.

5. Aliud principium quo praesumptam invaliditatem matrimonii acatholicorum probare intenditur, ponitur hoc: « *Nihil volitum nisi praecognitum* ». Atqui — (ita argumentari solent) — ab istis acatholicis indissolubilitas matrimonii non est praecognita; ergo neque potest esse volita. Sincere enim hi acatholici putant: matrimonium non esse indissolubile; eius indissolubilitatem revera ignorant.

Etiam haec argumentatio non caret ambiguitate. Nam notum illud et ab omnibus admissum principium: « *Nihil volitum nisi praecognitum* », valet quoad omne « volitum in se », non autem valet quoad omne « volitum in alio ». Homo actu deliberato revera non potest aliquid appetere « in se », nisi quod voluntati per intellectum propositum fuit; et intellectus proponere non potest, quod antea non cognoverit. Ex quo deducitur: indissolubilitatem matrimonii non posse esse obiectum « volitum in se », nisi fuerit praecognita; ex quo autem non deducitur: indissolubilitatem *nullo modo* posse esse obiectum « volitum », idest: neque « volitum in se », neque « volitum in alio », nisi fuerit « praecognita ». Hoc autem probari deberet, ut ex defectu cognitionis indissolubilitatis erui posset: ob indissolubilitatem matrimonii nullo modo (idest nec in se nec in alio) volitam, consensum matrimonialem esse invalidum.

6. « Volitum in alio » dicitur id quod cum « volito in se » inseparabiliter iungitur. Hinc, ut quid sit « volitum in alio », non requiritur quod sit « praecognitum », sive ipsum, sive eius cum « volito in se » inseparabilis connexio. Nam, sicuti in ordine essendi ob hunc inseparabilem nexum id quod est « volitum in se » non potest *esse* sine

« volito in alio » (independenter ab omni hominum cognitione), ita etiam in ordine volendi id quod est volitum in se, tale quale est, serio appeti non potest, quin simul aliud, quod est inseparabiliter iunctum, hac appetitione comprehendatur, non necessario ut con-cognitum, sed ut con-volitum, etsi non-cognitum.

Neque tamen hoc « volitum in alio » ideo dicitur comprehendi in appetitione « voliti in se », quia homo, sciens unum contineri in alio, cum scienter appetit « continens », scienter in hac voluntate includat etiam « contentum » — (prout accidit in « voluntario in causa ») —, sed ideo quia homo scienter appetens « obiectum continens » tale quale est, in hac sua voluntate includit omnia et singula obiective inseparabiliter contenta, sive sint cognita sive sint non-cognita; excepto casu, in quo unum vel plura ex his positive excludit.

Afferre liceat exemplum. Operarius, qui tamquam membrum associationis operariorum « contractum collectivum operae » init, talem qualem membra suae associationis inire solent et ipse eos inire scit, sua voluntate amplectitur non solum obiectum principale ipsi notum (idest: laborem pro determinato salario praestandum), sed omnia etiam alia puncta, quae in hoc contractu continentur, etsi haec ab ipso ignorentur, immo etsi ipse contractum non iniret, si haec sciret (ex. gr. quae spectant locum et tempus laboris, impossibilitatem resiliendi a contractu ad proprium beneplacitum, necessitatem participandi in operistitio, et alia similia). Sufficit, quod individualis hic operarius scienter velit « contractum collectivum operae » talem qualem operarii huius associationis inire solent (« volitum in se »), ut ipso facto simul ab eo « volita » habeantur, quae a contractu collectivo excludi non possunt, sed in eo obiective continentur quamvis alicui operario individuali non innotescant neque antea umquam innotuerint (« volitum in alio »).

Ex hac rerum condicione et ex inseparabili nexu in-

ter obiectum continens (« volitum in se ») et obiectum contentum (« volitum in alio ») efficitur, ut, si motu contrario voluntatis « obiectum contentum » (sive totum sive essentialis aliqua eius pars) excluditur, ipso facto voluntati subtrahatur etiam « obiectum continens », et motus voluntatis pro obiecto non iam habeat, nisi inanem obiecti in se intenti (« voliti in se ») apparentiam, non vero eius realitatem.

Quibus omnibus prae oculis habitis, apparet: illegitime, ut probetur non posse contrahere matrimonium indissolubile qui eius indissolubilitatem nesciverit, provocari ad notum illud principium: « *Nihil volitum nisi praecognitum* ». Quo principio probatur solummodo: indissolubilitatem non posse esse « volitam in se » ab eo, qui eam non praecognoverit, non vero probatur eam *nullo modo* posse esse volitam, (neque in se neque in alio).

7. Haec si applicantur ad matrimonium, apparet: in motu voluntatis, quo homo fertur in matrimonium, (id est in « obiectum continens ») eum ferri etiam in inseparabiles qualitates matrimonii, tamquam in « obiectum contentum », et quidem tamdiu, quamdiu hae vel una ex eis non fuerint actu positivo, sive directe sive indirecte, exclusae (cf. can. 1086 § 2). Nam propter inseparabilem nexum inter « obiectum contentum » et « obiectum continens », utrumque obiectum simul in voluntatem intrat; hinc ut obiectum contentum ab ingressu arceatur, vel ut, si intravit, iterum foras mittatur, « obiectum contentum » ab « obiecto continente » separari debet. Haec vero separatio non *ex natura rei* locum capit, neque vi « *obiecti in se voliti* » peragitur; hinc nihil restat, nisi ut perficiatur *ex parte subiecti*. Hoc cum actu positivo tendat in obiectum continens, positivo actu contrario ab ingressu arcere et ab « obiecto continente » separare debet, quod obiective cum « obiecto continente » coniungitur. Hanc « *separationem* », si ea a subiecto attentata fuerit, non habere nisi externam speciem separationis, neque manere « separatio-

nem », sed obiective transire in totalem *reiectionem* « obiecti continentis », supra sufficienter iam est expositum. Obiectum totale enim non admittit huiusmodi separationem: quia matrimonium et matrimonii essentiales qualitates constituunt unum totum morale indivisibile.

8. Claritatis causa aliud adhuc ponere liceat exemplum.

Sacramento baptismatis imprimitur indelebilis character, et subiectum baptizatum (etsi baptismus extra Ecclesiam et a ministro non-catholico administratur) iurisdictioni Romani Pontificis subicitur. Hi effectus ex voluntate Christi sunt inseparabiliter iuncti cum ipsa baptismi susceptione, et voluntati subiecti recipientis sunt subtracti. Hinc qui aetate adulta baptizatur, eo ipso quod sciens et volens vult *baptismum* (« volitum in se ») etiam hos effectus, inseparabiliter iunctos, facit suae voluntatis obiectum (« volitum in alio »), et hoc independenter a sua horum effectuum scientia vel nescientia, dummodo habeat et retineat seriam veri baptismatis recipiendi voluntatem. Ut arceat a se hos baptismi effectus, concipere deberet aliam eamque positivam voluntatem, voluntati recipiendi baptismatis, quoad hos effectus, contrariam. At, ipso facto quod hanc voluntatem contrariam concipit, exstinguit et inanem reddit baptismatis recipiendi intentionem; quia obiective exsistere non potest baptismus, qui hos effectus non habeat inseparabiliter iunctos. Ideo huiusmodi homo, talem concipiens et retinens voluntatem, sacramentum baptismatis invalide susciperet.

9. At, contra hunc consuetum et « tritum » (uti quidam dicunt) considerandi et argumentandi Moralistarum et Canonistarum modum urgetur: eum in se esse quidem cohaerentem et convincentem, sed dici debere procedere ex falso supposito. Supponi enim dicunt: christianos non-catholicos, cum ineunt matrimonium, ultimatim velle inire matrimonium prout « *Christus illud intellexit et docuit* », aut prout « *a Deo fuit institutum* ». At, licet hoc esse possit

et revera saepe ita sit, tamen persaepe talis suppositio rei veritati non correspondet. Dicunt: christianos, si sint sinceri, sincere velle matrimonium tale, quale ipsi « putant » *Christum illud intellexisse,* vel « putant » *Deum instituisse;* nolle autem, et explicite reicere, matrimonium tale *quale catholici dicunt* illud esse in se et catholici asserunt: Christum illud intellexisse, vel Deum instituisse. Ideo licet argumentum, petitum ex distinctione inter « volitum in se » et « volitum in alio » valeat, quando « matrimonium volitum in se » revera est matrimonium prout *Christus illud docuit,* vel *Deus instituit,* tamen tota argumentatio est secus viam, si matrimonium, quod ab acatholicis est « in se volitum », est omnino *aliud* matrimonium, scil. illud quod ipsi *errando censent* a Christo esse intellectum vel a Deo institutum, et tale matrimonium in se non est indissolubile.

Multo minus tota illa argumentatio valet de matrimonio, inito a paganis vel ab atheis, a communistis, a Liberalibus incredulis, quibus omnibus persuasum est: matrimonium esse rem mere humanam, hominum beneplacito inductum et compositum, ideoque ex voluntate hominum contrahentium interpretandum. Sed matrimonium voluntate hominum compositum, nihil habet indissolubilitatis. Hinc indissolubilitas nullo modo ab huiusmodi hominibus dici potest « volita », nec « in se » nec « in alio ».

10. Haec obiectio procedit ex eo quod in matrimoniis acatholicorum « volitum in se » non sit matrimonium, quod obiective sit indissolubile, et quod ideo indissolubilitas non possit esse « volita in volito in se ».

Ad hanc obiectionem reiciendam alia ulterior in obiectum consensus matrimonialis inquisitio institui debet.

Omne « volitum in alio » supponit « volitum in se »; et hoc « volitum in se » exigit, ut ididem sit etiam « cognitum in se ». Nam relate ad « volitum in se » plene valet axioma: *Nihil volitum nisi praecognitum.* Quaeri ergo debet, qualis sit necessaria cognitio obiecti « voliti in se » quae praerequiritur. Respondendum est: requiri talem co-

gnitionem obiecti, *qua « res a re » distinguatur*, non autem cognitionem, *qua variae in re qualitates et notae inter se distinguantur*. Eo ipso quod quis, tali generica notitia obiecti imbutus, obiectum appetit, etiam omnes qualitates essentiales quae in obiecto — (ita in se cognito et volito) — includuntur, sua voluntatis appetitione comprehendit. Ut hae qualitates extra voluntatis appetitionem maneant, positivo actu foras mitti debent.

Ex dictis apparet: ut *verum matrimonium* « in se », appeti possit, et ut essentiales veri matrimonii qualitates in matrimonio sic intellecto et volito simul appetantur, requiri et sufficere in contrahentibus veri matrimonii ideam, qua « res a se » (idest matrimonium a non-matrimonio) distinguatur; non autem requiri ideam, qua singulae notae et qualitates matrimonii consciae fiant.

11. Iamvero tamquam fundamentum indiscutibile poni et retineri debet: exsistere in genere humano — (independenter a quaestione de origine et de naturali indole matrimonii) — talem matrimonii veri ideam, qua « res a re » dignosci queat, non obstante multiplici ignorantia et errore de distinctis veri matrimonii notis et qualitatibus. *Genus humanum* enim semper et ubique terrarum « matrimonium » cognovit et significavit: certam quandam et determinatam societatis sexualis inter duas diversi sexus personas speciem, diversam ab omnibus aliis inter virum et mulierem quoad usum facultatis generativae associationibus. Haec generica veri matrimonii idea semper est et semper fuit eadem apud omnes gentes per orbem terrarum dispersas. Instinctu naturae ducti, homines supponunt: idem apud alias gentes dici matrimonium, atque quod propria gens matrimonium vocat. Omnibusque est persuasum : « matrimonium » apud omnes gentes eodem modo distinctum esse et haberi a qualibet alia sexuum associatione.

Hanc sexuum unionem, quam « matrimonium » vocant, homines sciunt significare totius vitae consuetudinem, destinari prolis generationi, esse societatem permanentem eo

saltem sensu quod eius duratio, per totam vitam protracta, non sit quid huic unioni extraneum, sed omnino consentaneum. Breviter: genus humanum censet, peculiarem sexuum unionem, quae matrimonium dicitur, per vim naturae (non per merum beneplacitum hominum) esse stabilitam, esse variis effectibus atque praerogativis ornatam, hos effectus et praerogativas non attribuendas: concubinatui, fornicationi habituali cum eadem persona sed sine vitae communione; amori libero quem vocant; concubitui vago; meretricio; et si sunt aliae formae activitatis sexualis, continuo exercitae inter easdem diversi sexus personas.

Per genericam hanc de vero matrimonio ideam genus humanum est capax ad « verum matrimonium » volendum et ineundum; nam homines (sive christiani sive non-christiani, sive catholici sive non catholici, sive in Deum credentes sive athei) cum contrahunt, suae cum comparte ineundae consuetudini eam vitae figuram et formam dare volunt, quam omnes homines « matrimonium » dicunt.

12. Haec autem generica « veri matrimonii » idea constituit (quoad « id quod ») obiectum, « in se volitum » et « in se cognitum », quod contrahentes ubique terrarum in actu contrahendi matrimonium appetunt. In hac eorum voluntate continentur dein tamquam « volitum in alio » qualitates essentiales cum matrimonio cognito inseparabiliter iunctae, (ex. gr. eius unitas et unicitas, eius indissolubilitas, eius sacramentalitas, quando matrimonium initur inter duos baptizatos). Ubi primum autem vel una ex his essentialibus matrimonii qualitatibus excluditur, — (eo scl. quod positivo actu voluntatis directe vel indirecte reicitur) —, ipsum matrimonium reicitur; et tamquam obiectum voluntatis contrahentium non iam remanet « matrimonium », sed loco matrimonii alia communionis sexualis species, quocumque tandem nomine vocetur.

Ordinarie homines, quando matrimonium ineunt non solent reflexe de matrimonii qualitatibus cogitare; hic et nunc volunt « *matrimonium* », nulla ratione habita ideae

theoreticae quam forte circa matrimonium habent. Ideo (in genere) intricata quaestio de « *praevalentia intentionum* » locum non capit, cum contrahentes non habeant, nisi hanc unam intentionem: *ineundi matrimonium.*

13. At, si propter pluralitatem obiectorum, inter se insociabilium, revera plures sunt intentiones — (ex. gr. eo quod intentio contrahentis simul fertur in « matrimonium verum » et in « matrimonium solubile ») — exsurgit quaestio de praevalentia. Examinandum tunc erit, utrum duae intentiones « *aeque principaliter* » ferantur in utrumque obiectum, an « *praevalenter* » in alterutrum, et in quale. Cum « *veritas* » et « *solubilitas* » matrimonii coexsistere nequeant, contractus, in quo « *aeque principaliter* » aut « *praevalenter* » appetitur solubilitas, in rerum natura non habet obiectum; esset consensus matrimonialis sine obiecto matrimoniali. Solummodo in casu, in quo intentio contrahentis *praevalenter* fertur in « matrimonium verum », haec voluntas absorbet intentionem contrahendi solubiliter.

14. At quaeri debet, quomodo « praevalentia » intentionis detegi et dignosci possit. Difficile est assignare « criterium », quod sit certum et usu facile. Criterium sufficiens non est explorata contrahentium voluntas *condicionata,* quam haberent, si de insociabilitate obiectorum edocerentur. Haec enim voluntas condicionata aeque bene significare potest « intentionem interpretativam » atque « intentionem implicitam actu exsistentem ». Prior intentio nullo modo influit in validitatem; altera valorem consensus afficit. Insuper prae oculis haberi debet: intentionem interpretativam et intentionem actualem implicitam quoad rem tum coincidere tum inter se discrepare posse. Potest enim esse quod quis, qui serio matrimonium putat esse solubile, in actu contrahendi, volendo matrimonium solubile, actuali voluntate implicita, nunc praevalenter velit « matrimonium verum » prae « matrimonio solubili », et quod idem homo idem etiam vellet, si de insociabilitate horum obiec-

torum edoceretur. Et accidere potest contrarium, scl., ut nunc secundum intentionem actualem praevalenter feratur in « matrimonium verum » quod credit solubile, sed quod reiceret omne matrimonium, si cognosceret illud necessario esse insolubile. — Praeterea potest esse, quod quis nunc praevalenter velit matrimonii solubilitatem, quam putat sociabilem cum matrimonii veritate; et quod idem homo reiceret solubilitatem, si cognosceret: se in tali casu missum facere omne « verum matrimonium », et se contentum esse debere hac vel illa forma concubinatus.

Ex dictis intelligitur, cur explorata illa contrahentium intentio condicionata, quam haud raro criterium certum et definitivum intentionis praevalentis designant, non sit criterium sufficiens; est criterium ambiguum.

15. Neque exsistere videtur aliud criterium generale et absolutum, quo praevalentia exquiri possit. In singulis casibus circumstantiae generales et particulares exquiri et examinari debent, ut ex earum complexu praevalens intentio cum maiore vel minore certitudine eruatur.

Tamquam « terminus a quo » talis inquisitionis retineri debet praesumptio supra assignata, scl. homines, serio contrahentes, voluntate praevalente inire velle « *matrimonium* », non autem aliam ex variis speciebus associationum sexualium, quae inter duas personas diversi sexus habentur. Haec praesumptio, quae in spontaneo naturae humanae iudicio et in communi generis humani persuasione fundatur, creat etiam « *praesumptionem praevalentiae* » intentionis ineundi « matrimonium verum », si in casu particulari intentio solubilitatis cointrat in voluntatem contrahendi.

Ex alia parte haec « praesumptio praevalentiae » vinci *potest* et, prout ex variis Responsis S. Officii constat, de facto vincitur argumento contrario, quo ostenditur, solubilitatem serio et de industria (non solum superficialiter et quasi per transennam) in ipso actu contrahendi fuisse positam, saltem tamquam con-obiectum voluntatis. Tunc enim voluntas solubilitatem — (si non praevalenter, saltem

aeque principaliter) — amplexa est, et eo ipso matrimonii indissolubilitatem foras misit et destruxit.

16. De vera contrahentium voluntate ultimatim notitia haberi nequit, nisi ex ipsorum declaratione. Est enim factum internum, quod immediate solummodo notum est ei, qui talem voluntatem concipit. Alii notitiam huius voluntatis acquirere non possunt, nisi ex manifestatione per contrahentem facta, (ex ipsius explicito et immediato testimonio; ex toto eius agendi modo et loquendi tempore quo de matrimonio ineundo tractabat; ex depositionibus aliorum qui eum ita agentem et loquentem observarunt).

Dein *confirmari* potest assertio et depositio unius vel utriusque contrahentis ex communi hominum, inter quos degebat, de solubilitate matrimonii persuasione; quamvis haec ratio ex se sola non sufficiat ad talem voluntatem asserendam et probandam. Haec confirmatio, petita ex communi opinione et actione, eo maiorem vim habet, quo magis haec opinio ad proprium matrimonium referebatur, et quidem non solum tamquam simplex illatio logica — (haec enim maneret in intellectu per modum simplicis erroris) —, sed tamquam *norma agendi*, in ipso actu contrahendi adhibita. Quod fieri potest ex. gr. eo, quod utraque vel alterutra pars (pro casu infelicis exitus matrimonii), ita *voluerit* inire contractum, ut maneat ipsi possibilitas ab eo resiliendi; vel eo, quod partes ob quamcumque aliam rationem — (ob horrorem omnis ligationis absolutae; ob dictamen conscientiae erroneae, recusantis omne insolubile cum alia persona ligamen; ob influxum ab aliis exercitum; ob spem vel horrorem prolis futurae; ob condiciones oeconomicas; ob alia similia argumenta) — *noluerint* contrahere nisi solubiliter; quamvis forte in actu contrahendi habuerint firmum propositum numquam utendi hac solubilitate.

Unicum ergo criterium, idque decisivum, ad quod in diudicandis casibus particularibus recurri potest et debet, est: videre, utrum coniuges (sive sub influxu sive absque

influxu communis opinionis et praxis) generalem suam de solubilitate matrimonii ideam ad proprium matrimonium ita applicaverint, ut illud non solummodo esse *iudicaverint*, sed etiam facere *voluerint* « solubile ».

17. Unde deducitur responsum ad quaestionem initio huius inquisitionis positam: an, consideratis hodiernis de matrimonii solubilitate ideis et attenta frequentissima divortiorum praxi, consensus acatholicorum in matrimoniis contrahendis praesumi debeat substantialiter vitiatus ob exclusam matrimonii indissolubilitatem. *Praesumi* debet etiam his nostris temporibus *consensus substantialiter sufficiens*, quia voluntas contrahendi versari dici debet circa « verum matrimonium », prout directa et non-distincta idea matrimonii, quae — (prout supra expositum est) — inter homines omnium temporum et regionum est communis, exhibetur. At, quo magis erroneum de solubilitate matrimonii iudicium evadit *reflexum* et *applicatur ad proprium matrimonium contrahendum*, eo magis timeri debet, ne falsa idea « matrimonii solubilis » intret etiam in *voluntatem contrahendi*, et faciat homines et iudicare et *velle* proprium suum matrimonium uti *solubile*. In solvenda ergo hac « quaestione facti » omnino ratio habenda est communis iudicii et consuetudinis loci et temporis, quo matrimonium contrahitur. Nequit quidem quoad « factum intentionis habitae » *norma absoluta*, et ubique sine distinctione valens, poni; singuli casus iuxta criterium supra expositum examinari et dignosci debent. Sed in singulis casibus praesumptio matrimonio eiusque validitati favorabilis, his nostris temporibus, saltem in certis regionibus, multo frequentius vincitur probatione contraria certa et evincente, quam tempore praeterito.

18. Expositis et discussis principiis, secundum quae consensus matrimonialis examinari et diudicari debeat, pauca addenda sunt quoad *modum practicum* quo requisitum consensus examen instituatur. Et primo quidem qui

examen instituit, tamquam finem sibi proponere debet, ut detegat, quae fuerit contrahentium in actu contrahendi *voluntas* circa proprium matrimonium, quod inituri erant; in specie, num haec voluntas sive tamquam obiectum sive tamquam adiectam condicionem habuerit solubilitatem. Hunc finem obtinere, idest veram contrahentium voluntatem explorare et dignoscere vix valet, qui non perspexerit naturam « erroris simplicis » (sive mere concomitantis, sive etiam dantis causam contractui), et qui non habuerit criteria perspecta, quibus huiusmodi error simplex discernatur ab alio errore, qui in ipsam voluntatem intrat.

19. Qui, cognito fine et obiecto inquisitionis ad examinandam voluntatem contrahentium accedit, attendere debet ad fontes, unde falsitas in contrahentium mentem et depositiones intrare potest. Voluntas interna momento, quidem quo adest, per se ipsam homini innotescit; ideo eo momento quoad merum talis voluntatis factum error non potest admitti, quia voluntas a se ipsa, si adest, differre non potest. At, « depositio » contrahentium non fit hoc momento, et ideo generatim non versatur circa merum hoc factum internum; exhibet insuper memoriam et interpretationes huius facti; deponunt enim partes ex memoria de facto interno praeterito et de obiecto voluntatis, tempore praeterito habitae. Ideo influere possunt varii illi fontes errandi, de quibus in Critica et Psychologia agitur, uti sunt: lapsus memoriae, memoriae modificatio, obiecti substitutio sub influxu subsequentis auto-suggestionis, et alia similia. Ad hos errandi fontes ille qui voluntatem contrahentium examinat breviore vel longiore tempore post matrimonium celebratum, bene attendere debet. Nihilominus horum fontium errandi influxus non debet exaggerari. Nam intentio, de qua agitur et quae hominem serio agentem latere non potest, et quae etiam sine difficultate memoria tenetur, est intentio: *contrahendi « matrimonium », et non ineundi aliam speciem associationum sexualium*. Ob-

iectum huius intentionis est matrimonium, cognitum illa primitiva idea directa qua « res a re » (idest: matrimonium a non-matrimonio) distinguitur. De hac sua voluntate circa hoc determinatum obiectum quilibet, qui serio contraxit, etiam post plures annos claram notitiam habere potest et habere solet.

20. Obtenta per diligentem inquisitionem certitudine morali de generica voluntate ineundi matrimonium — (idest de obiecto « volito in se ») — sequitur exploratio voluntatis circa « volitum in alio », idest circa matrimonii qualitates, quae obiective a « volito in se » separari nequeunt. Ordinarie non erit difficile, discere ex contrahente, an omnino de matrimonii qualitatibus aliquam opinionem et quamnam habuerit. A priori exspectari debet: eum ididem de his sensisse, quod communis opinio publica, leges civiles, tribunalia civilia, institutio et praxis sectae religiosae habent.

Audita eius de matrimonii qualitatibus opinione (idest: iudicio intellectuali) exquirendum est, an et quomodo hanc suam de matrimonii solubilitate ideam in voluntatem contrahendi introduxerit. Ut hoc innotescat, quaeratur primum, num idem, quod de matrimonio in genere senserit, ad proprium matrimonium applicaverit, *iudicando*: suum quoque matrimonium esse solubile. Ad quam quaestionem probabiliter vel fere certo respondebit: *affirmative*. Deinde ulterius est interrogandus, utrum proprium matrimonium non tantum « *iudicaverit* » esse solubile, sed etiam sua voluntate illud « *voluerit facere* » solubile. Si contrahens, bene perspecta interrogatione, responderit: « *affirmative* », constat: eius consensum fuisse substantialiter vitiatum. Si responderit: se de hac re non iudicasse neque huiusmodi positivam voluntatem habuisse, indissolubilitatem matrimonii actu positivo non exclusit: ideoque eius consensus non fuit substantialiter vitiatus.

At, exquiratur oportet ulterius, num forte (sive explicite sive implicite) solubilitatem posuerit tamquam condi-

cionem, stabiliendo apud se ipsum, se matrimonium tantummodo velle inire, si solvi queat. Restat ultima interrogatio: num consensui matrimoniali speciale cum comparte pactum adiecerit, secundum quod saltem in certis circumstantiis matrimonium solvi possit, (num compars in hanc solubilitatem consenserit). In utroque casu (idest appositae condicionis aut adiecti pacti) matrimonium ob essentialem defectum consensus est nullum.

21. In has partium depositiones non tantum error, sed etiam defectus sinceritatis et deliberatum mendacium intrare possunt. Ideo sedulo inquirendum est in partium credibilitatem; exigi debet ab ipsis (si res ex officio ab auctoritate ecclesiastica agitur) iuramentum de veritate depositionum quas fecerunt; monendi sunt: sententia nullitatis ab Ecclesia latam carere omni in conscientia et coram Deo vi, si contra veritatem deposuerint. Insuper credibilitas partium, si fieri potest, explicitis aliorum, quibus fidi posse certo constat, testimoniis firmari debet. Veritatem depositionum partium « confirmari » posse ex condicionibus generalibus publicis, in quibus partes degerunt tempore matrimonii ineundi, supra dictum iam est. Adesse posse tandem alia adminicula, quibus veritas et veracitas deponentium confirmentur, notum supponi potest.

Retineri autem et omnino admitti debet: *spectato solo iure naturae*, veram et plenam certitudinem moralem de partium, momento contrahendi, voluntate haberi posse etiam ex sola partium vel alterutrius partis declaratione; tunc enim, quando earum veritas et veracitas iudicari debet omni exceptione maior, idest talis, quae omne prudens dubium contrarii excludit. Quo in casu non leviter agit et iudicat, neque contra matrimonii dignitatem firmitatemque vel contra bonum commune peccat, qui sibi efformat iudicium: matrimonium particulare, de quo agitur, ob defectum consensus fuisse invalide contractum.

Tota haec expositio et discussio respicit solummodo examen privatum extraiudiciale quod qui in cura anima-

rum et in directione conscientiarum occupatus est, hinc inde instituere cogitur, ut sibi efformare queat iudicium, quomodo procedendum sit.

Quid valeat de examinando consensu in aliqua inquisitione processuali, non est huius loci examinare et definire. De hoc valent quae in iure canonico de processibus matrimonialibus vel in specialibus S. Sedis *Instructionibus* [1], quae tempore praeterito saepius datae iam sunt, statuuntur.

F. Hürth S. I.

[1] Cf. e. gr. *Instruct.* S. Officii ad Vic. Ap. Oceaniae d. d. 6 apr. 1873 [Fontes C. I. C., IV pg. 170 sqq. n. 894]; *Instruct.* S. Officii d. d. 24 januarii 1877 ad Episc. Nesquallien. [l. c. pg. 366 sqq. n. 1050].

DE MATRIMCNIIS ACATHOLICORUM BAPTIZATORUM

Restat nunc nobis loquendum de consensu matrimoniali [1]. Agentes de consensu matrimoniali possumus distinguere consensum internum et manifestationem externam eiusdem.

Consensus internus, est verus *actus elicitus a voluntate;* manifestatio vero externa consensus est *actus imperatus* a voluntate.

Ad contrahendum matrimonium validum requiritur tum consensus internus validus, tum consensus externus validus.

Utrum consensus internus sit validus *sola lege naturali* determinatur tum pro baptizatis, tum pro non-baptizatis, quia neque lex ecclesiastica neque lex civilis quidquam determinant circa validitatem consensus interni.

Validitas consensus externi vero non tantum regitur iure naturali sed etiam iure positivo: iure enim ecclesiastico determinatur pro baptizatis quomodo ad valide contrahendum manifestatio consensus fieri debeat; pariter iure civili praescribitur pro non baptizatis quibusnam qualitatibus manifestatio consensus pollere debeat.

I. De consensu interno.

Quae praescribuntur in Codice Iuris Canonici can. 1081-1087 de consensu interno sunt iuris naturalis tantum ideoque non tantum valent pro omnibus baptizatis sed etiam pro infidelibus.

---

1 Cfr. Periodica, XXXVI, 185.

Pro matrimonio requiritur consensus partium (Can. 1081 § 1); objectum huius consensus est traditio et acceptio corporis (ibid. § 2); ad consensum validum requiritur scientia saltem minima de qua can. 1082 § 1.

Quaestio vero moveri potest circa § 2 can 1082. in qua dicitur: « Haec ignorantia (naturae matrimonii) post pubertatem non praesumitur ». Asseritur hic praesumptio quaedam quae est « *iuris tantum* ».

Certo haec praesumptio valet de matrimonio duorum catholicorum; valet vero etiam de matrimonio acatholicorum, immo et infidelium.

Fundamentum enim huius praesumptionis non est tantum educatio catholica, sed potius quaerendum est in ipsa natura humana: ipso enim instinctu sexuali vir et mulier sese invicem appetunt, qui appetitus sexualis sensim sine sensu producit amorem sexualem, ubi vero adest hic amor sexualis quasi sponte exsurgit desiderium sese tradendi alteri parti et quidem modo corporali. Sane fieri potest ut hic amor praesertim in hominibus probis per aliquot tempus remaneat spiritualis ita ut de traditione corporum non cogitent, sed post aliquod tempus partes etiam desiderabunt unionem corporum, quamvis fortasse de modo concreto huius unionis clarum conceptum nondum habeant.

Itaque ipsa natura quasi communicat scientiam necessariam ad dandum verum consensum voluntatemque inclinat ad eliciendum hunc consensum.

Sane, si sermo est de matrimonio duorum catholicorum haec praesumptio eo fortior est: debet enim parochus vi can. 1033 « docere sponsos ... mutuas coniugum obligationes et obligationes parentum erga prolem ».

Quare si parochus officio suo rite functus est matrimonialis consensus defectu necessariae cognitionis vitiari non potest. Acatholicis vero haec instructio non datur, quare facilius ex hoc capite matrimonia acatholicorum invalida esse possunt, prasertim si sponsi sunt iuniores et vix pubertatem attigerunt.

Alia vero difficultas moveri potest: in nonnullis regionibus mores ita depravati sunt ut homines unitatem et indissolubilitatem matrimonii iam non agnoscant: catholici in talibus regionibus certo ex continuata praedicatione Ecclesiae sciunt se dare in matrimonio ius perfectum et *exclusivum* in corpus; pro iis igitur valet praesumptio statuta in can. 1082 § 2.

Sed de acatholicis quaeritur an communis eorum circa hanc rem ignorantia sufficiat ad praesumptionem stabilitam elidendam. Si enim, obicitur, omnes matrimonium considerant solubile, saltem in casu adulterii, quomodo potest aliquis cognoscere matrimonium esse societatem permanentem? Quod certo pro valido consensu requiritur.

Respondet can. 1084: « Simplex error circa matrimonii unitatem, vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui non vitiat consensum matrimonialem ».

Hic canon multiplicis applicationis est si agitur de matrimoniis acatholicorum: apud eos enim potius quam apud catholicos grassantur errores circa proprietates matrimonii.

Semper bene distinguendum est inter intellectum et voluntatem: potest dari error in intellectu, qui nullo modo redundat in voluntatem: talis error dicitur in Codice « Simplex error ». Quaerendum non est quid sponsi facerent vel dicerent si interrogarentur, vel si reflecterent ad errorem theoreticum, sed quaerendum tantum est quid de facto faciant.

Unde matrimonia acatholicorum, qui putant matrimonium solvi posse, non necessario invalida sunt propter defectum consensus:

Dicit Gasparri [2]: « Porro propter favorem matrimonii praesumitur contrahentem ad matrimonium accessisse illa

[2] GASPARRI, P., *Tractatus canonicus de matrimonio*, Editio nova ad mentem Codicis I. C., Romae 1932 n. 807.

generali voluntate (i. e. vult matrimonium verum inire prout a Deo institutum est) cum simplici errore iuris, donec conditio proprie dicta probetur, eo vel magis quod ille alter voluntatis actus (quo positive excluderet essentialem voluntatem) esset factum, facta autem non praesumuntur, sed probantur ».

Sibi obicit vero: « Dices: « Si leges aut mores regionis admittunt divortium quoad vinculum vel polygamiam, haec potius videtur esse praesumptio, scilicet nupturientes velle matrimonium legibus aut moribus nationis conforme; unde sequitur omnia matrimonia in illa regione celebrata esse invalida, nisi in casibus particularibus probetur nupturientes in actu matrimonii aliam habuisse voluntatem ». Sed facile evincitur hanc doctrinam (quae ad matrimonia ubique fere terrarum celebrata applicari deberet) admitti non posse. Nam etiam in regione ubi admittitur divortium quoad vinculum vel polygamia, praesumptio debet esse quam diximus, tum propter favorem iuris, quo gaudet matrimonium, tum quia supponendum est nupturientes, dum ad nuptias ineundas accedunt, saltem generatim loquendo, ne cogitare quidem de solutione vinculi matrimonialis, aut de aliis nuptiis ducendis et multo minus haec ita cogitare et velle, ut secus ipsum matrimonium excluderent ».

Sapienter admonet S. C. S. Officii in Inst. (ad Ep. Nesquallien) die 24 ian. 1877 data [3] ne umquam statuatur praesumptio generalis CONTRA matrimonium: in singulis casibus accurata investigatio facienda est.

Insuper bene notandum est: Consensum, qui initio fuerit invalidus, postea fieri posse validum; partes v. g. possunt post aliquod tempus revocare conditionem et dare consensum absolutum; immo si partes per longum tempus pacifice cohabitaverunt ut veri coniuges, ut videtur, praesumi possunt interea elicuisse consensum verum. Haec praesumptio quidem non explicite in iure habetur sed me-

---

[3] *Codicis Iuris Canonici Fontes*. Cura Emi Petri Card. Gasparri editi. Romae 1926 Vol. IV n. 1050 3.

rito admitti potest. Confirmatur nempe responso S. C. S. Officii dato die 22 nov. 1871 [4], in quo dicitur:

« Matrimonia » ad solam experientiam inita, nulla ceremonia de more patrio habita, ita ut priore tempore habeantur ut concubinaria: elapso tempore lege civili statuto, fieri valida et legitima. (In Siam et Sina isti coniuges ut legitime coniuncti reputabantur, si per quatuor annos fideliter cohabitaverant).

Quod responsum explicari nequit, nisi concedamus consensum, qui initio certo invalidus fuit, postea convalidatum esse.

S. C. S. Officii hic agit de matrimoniis infidelium ubi convalidatio consensus ordinario secumfert convalidationem matrimonii; si vero quaestio est de matrimonio baptizatorum convalidationi obstare videtur can. 1134 qui dicit: « Renovatio consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium quod constat ab initio nullum fuisse ». Cognitio nullitatis vero saepe non adest, ideo matrimonium non convalidatur.

Propter magnum momentum — multa enim matrimonia acatholicorum sunt invalida propter defectum consensus — nostram sententiam, quae a communiore nonnihil recedit paulo fusius exponamus.

Auctores fere omnes, praescriptum canonis 1134 applicant *omnibus matrimoniis* invalidis, ita ut nunquam matrimonium convalidari possit quin partes sciant matrimonium initio nullum fuisse.

Haec applicatio nobis videtur esse nimis extensa: volumus restringere applicationem canonis 1134 ad solum casum quo matrimonium nullum est propter impedimentum dirimens.

En argumenta:

A. Ordo canonum hanc restrictam applicationem suadet:

---

[4] *Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide,* Romae 1907 Vol. II n. 1377.

Codex enim explicite distinguit tres causas nullitatis matrimonii quas successive tractat:

Can. 1133. — § 1. Ad convalidandum matrimonium irritum *ob impedimentum dirimens....*

Can. 1136. — § 1. Matrimonium irritum *ob defectum consensus* convalidatur....

Can. 1137. — Matrimonium nullum *ob defectum formae,* ut validum fiat....

Can. 1134 non ponitur in fine, post omnes causas nullitatis, sed ponitur immediate *post* can. 1133 qui agit tantum de matrimonio nullo ob impedimentum dirimens, et *ante* can. 1135 qui ut ex ipso textu patet pariter respicit tantum matrimonium nullum ob impedimentum.

Uti videtur Codex diversas causas nullitatis plene absolvit antequam transitus fit ad novam causam:

ita canones 1133-1135 agunt de matrimonio nullo ob impedimentum dirimens; can. 1136 tribus paragraphis agit de matrimonio nullo ob defectum consensus; can. 1137 de matrimonio nullo ob defectum formae. Quo iure igitur can. 1134 etiam sequentibus canonibus applicatur?

B. Verba quae adhibet Codex differunt prout agitur de matrimonio nullo ex defectu consensus et ex impedimento dirimente:

Si sermo est de impedimento dirimente, Codex adhibet voces: « *renovare consensum* », ita can. 1133 § 1; § 2., can. 1135 § 1, 2, 3;

si vero sermo est de defectu consensus Codex nunquam adhibet vocem « *renovare* » sed in can. 1136 § 1 dicitur: « si pars quae non consenserat, iam *consentiat* », in § 2: « satis est ut pars quae non consenserat, *interius consentiat* ».

Can. 1134 loquitur vero de « *renovatione consensus* ».

C. Sequitur ex ipsa natura rei:

Si matrimonium est invalidum propter impedimentum dirimens stricte dictum, consensus potest esse naturaliter validus; atqui consensus naturaliter validus potest quidem

perseverare ,sed non potest *renovari* nisi cognita nullitate matrimonii;

Si vero matrimonium est invalidum propter defectum consensus, pars, quae ficte tantum consenserat, vel consenserat sub condicione postea potest dare consensum verum, seu absolutum, etiamsi ignoraret primum consensum fictum nullum habuisse effectum iuridicum: tunc consensus verus seu absolutus revera est « novus voluntatis actus ».

Ut dicit Gasparri, si adfuit consensus verus sermo esse potest de « *renovatione consensus* », si vero nondum adfuit consensus verus, *consensus non* « *renovatur* » sed nunc primum « *datur* »[5].

Ideo « *renovatio consensus* », de qua can. 1134 in casu quo matrimonium nullum est ob defectum consensus impossibilis est.

Tamen ipse Gasparri nobiscum non consentit: agens enim de matrimonio nullo ob defectum consensus dicit: « Si defectus consensus fuerit mere internus, satis est ut pars, quae non consenserat, interius consentiat:

Hinc necesse est ut haec pars notitiam nullitatis matrimonii habeat et deinde satis est ut consensum renovet per novum voluntatis actum internum »[6].

Cur haec notitia nullitatis requiratur non video. Nihil obstat quominus qui antea modo invalido consenserit, nunc sciens volens, alio modo, qui est validus, consentiat quin sciat primum consensum fuisse invalidum. Feye, qui scripsit ante Codicem, dicit, agens de matrimonio nullo ob solum defectum consensus:

« Auctores communiter exigunt praeviam nullitatis matrimonii notitiam; sunt tamen qui sentiunt hanc essentialiter non requiri, sed sufficere ut, cessante causa nullitatis, vere detur novus consensus. Prior quidem doctrina quantum fieri potest in praxi servanda est, eamque Sedes

---

[5] GASPARRI, *o. c.* n. 1190.

[6] id. *o. c.* n. 1202.

Ap. applicare solet, posterior tamen in casu necessitatis potest inservire »[7].

Ut ex supradictis patet Codex dubium hoc certo non solvit.

Contra sententiam expositam gravis difficultas moveri potest ex decisione S. Rotae Romanae in causa matrimoniali van der Bilt-Marlborough[8].

Agitur in hac causa de matrimonio inito cum metu gravi reverentiali. Postquam tribunal statuit in casu gravem metum revera adfuisse ideoque matrimonium iuxta can. 1087 § 1 esse invalidum, ita pergit:

« Matrimonium tandem, gravi sub metu a Consuela (actrice, quae cum inierat matrimonium acatholica erat) contractum, nulla fuit inde ratificatione sanatum. Ad validitatem consensus oportet in casu ut scientia calluerit actrix de matrimonii nullitate ex defectu consensus, matrimonialemque consensum renovaverit perdurantibus nuptiis. Porro inverosimile est canonica scientia praeditam Consuelam fuisse super impedimentis matrimonium irritantibus, eo vel magis, quod sectae acatholicae erat inscripta; quae scientia ceteroquin in feminis non est praesumenda, sed probanda ... etc. ».

Notatu dignum est S. R. Rotam prius loqui de « defectu consensus », postea vero de « impedimentis dirimentibus ». Estne « *metus gravis* » numerandus inter impedimenta vel estne causa defectus consensus?

Auctores ante Codicem metum gravem considerabant impedimentum dirimens [9]; in Codice I. C. vero de metu gravi agitur in capite V, quod agit de consensu.

Certo metus gravis non est impedimentum sensu stricto: dicit enim Cappello[10]: « Sensu stricto et proprio ad

---

[7] Feye, *De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus*, Ed. 3a Lovanii 1885 n. 760.

[8] *A. A. S.* (1926) XVIII p. 501 sqq.

[9] Wernz, F. X., *Ius Decretalium*, Romae 1904 t. IV n. 263.

[10] Cappello, F., *Tractatus canonico moralis de Sacramentis*, Vol. III De matrimonio, Ed 4a Taurini-Romae 1939 n. 195. 1.

normam Codicis impedimentum matrimoniale definiri potest: Circumstantia externa, iure divino vel humano inducta, quae personam aut inhabilem facit ad matrimonium, aut arcet ab eo licite contrahendo ».

Metus gravis vero non est « *circumstantia externa* », quia natura sua influit in ipsum consensum.

Estne igitur matrimonium initum cum metu gravi invalidum propter defectum consensus? Vellem distinguere:

Non est invalidum propter *defectum substantialem* consensus, est vero invalidum propter *defectum iuridicum* consensus.

Consensus enim ut validus sit debet habere quasdam qualitates, quae ipsa lege naturali requiruntur: ita ex parte voluntatis libertas, ex parte intellectus scientia sufficiens, immunitas ab errore substantiali; si vero quaestio est de matrimonio baptizatorum lege ecclesiastica insuper requiritur ad validitatem consensus, ut ex parte voluntatis voluntas libera sit a metu gravi (c. 1087), et ex parte intellectus ne adsit error accidentalis circa conditionem servilem alterius partis (C. 1083 § 2 2º).

Simul cum errore accidentali circa conditionem servilem et simul cum metu gravi stare potest consensus *naturaliter* validus iuridice vero inefficax: quare in casu revera « *consensus renovatur* », quod uti vidimus tantum fieri potest cum scientia nullitatis: attamen si defectus consensus fuerit substantialis non requiritur scientia nullitatis « *ad dandum consensum* ».

II. De externa manifestatione consensus.

Quae supra diximus de consensu interno applicare possumus etiam manifestationi externae consensus. Haec ut sit valida quasdam debet habere qualitates ex ipsa lege naturali ortas, quasdam vero alias ex lege positiva civili si agitur de matrimoniis eorum qui baptizati non sunt,

ex lege positiva ecclesiastica si agitur de matrimoniis baptizatorum.

Iure naturali requiritur ut consensus externus sit signum univocum consensus interni. Iam dicit Schmalzgrüeber[11]: « Consensus internus debet ita esse per verba [aut alia signa aequipollentia] expressus, ut dignoscatur contrahentes habere veram, firmam ac sinceram voluntatem sese vinculo obligandi indissolubili, atque obligationes exinde manantes suscipiendi ».

Supra vidimus apud acatholicos consensum verum internum generatim adesse eumque esse praesumendum, consensus vero externus apud eos saepe laborat defectu substantiali, quia non pauci acatholici consensum conditionatum dant.

De hoc consensu conditionato dicit S. C. S. Officii in Instructione ad Vic. Ap. Oceaniae die 6 apr. 1843 data[12]:

« Certum est matrimonium contractum cum conditione ipsius substantiae et nominatim ipsius indissolubilitati repugnante nullum esse... iamvero non paucae formulae a protestantibus adhibitae ulla conditione irritante contaminatae sunt in quibus expressis verbis inhaeret haec condicio: « *Contraho tecum donec in fidelitate permanseris* »

Alia formula, qua multi utuntur Calvinistae est formula sic dicta « Transsylvanica »; haec formula cum variationibus minoris momenti in hoc consistit:

Minister ad contracturos dicit: « Audite S. Evangelium »; deinde eis praelegit textum Matthei XIX, 9., « Dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem... etc. ». Quo textu ipsi abutuntur ad stabiliendos suos errores, et contracturi, qui eisdem erroribus participant, admonentur de restringendo consensu. Post consensum utrinque editum, perdurante eodem ritu, ab ipsis iuramentum exigitur in quo sibi mutuo pro-

---

11 SCHMALZGRUEBER, *Ius Eccl. Univ.* P. I tit. I sect. I n. 264.
12 *Collectanea S. C. de P. F.* Romae 1893 n. 1291.

mittunt fidelitatem quoadusque altera pars in fidelitate perstiterit.

Haec formula certo reddit invalidum consensum externum.

Cavendum tamen ne omnia matrimonia eorum, qui pertinent ad sectam, quae solet adhibere similem formulam reputentur invalida. Ob diversas enim rationes matrimonia haec possunt esse valida:

a) Consensus externus quoad verba potest esse conditionatus, dum ex circumstantiis clare apparet dari consensum absolutum, ut patet ex responso S. C. S. Officii ad Vic. Ap. Promont. Bonae Spei [13]:

Quaesitum fuit: « Quid sentiendum de matrimonio catholicorum sic (i. e. coram ministro calvinista cum formula perpetuitati matrimonii contraria) celebrato, si non obstante formula ista intendant bona fide contrahere in sensu Ecclesiae »?

Respondetur: « In casu prout exponitur, Affirmative, seu matrimonium inter duos catholicos, qui in sensu Ecclesiae contrahunt interveniente declaratione contrahentium, esse validum et indissolubile ».

Bene animadvertendum est in hoc responso ad incisum: « *interveniente declaratione contrahentium* ». Haec enim declaratio, immediate ante vel post manifestationem consensus edita, ita ut moralis unitas habeatur, consensum apparenter conditionatum reddit absolutum. Sine hac declaratione vero matrimonium certo esset invalidum etiamsi consensus internus esset absolutus.

b) Saepe pro acatholicis « matrimonium ecclesiasticum » non est unicum, quia etiam coram magistratu civili dant consensum.

Quid si formula adhibita coram magistratu civili est absoluta, ut fieri solet, coram ministro religioso vero conditionata?

---

13 *ibid.* n. 1290.

Debemus distinguere:

Vel partes considerant matrimonium civile verum matrimonium, matrimonium vero ecclesiasticum habent meram ceremoniam. Ita multi Lutherani: in casu formula ecclesiastica conditionata non invalidat matrimonium coram magistratu civili iam valide contractum vel contrahendum. Nulla enim lege requiritur ut contrahant coram ministro religionis;

vel partes considerant matrimonium ecclesiasticum verum matrimonium, matrimonium civile vero meram formalitatem. Ita Calvinistae orthodoxi. Tunc quaestio difficilior fit:

certo non contrahunt coram ministro religioso, quia ibi etiamsi adest consensus verus internus deest manifestatio debita huius consensus;

coram magistratu civili: adest consensus internus, qui perseverat, adest quoque consensus externus, seu manifestatio consensus, naturaliter valida, ideo valide contrahitur matrimonium coram magistratu civili.

Obicies: coram magistratu civili partes opinantur se perficere solummodo formalitatem: atqui non possunt inire matrimonium inscii.

Respondeo: Can. 1085, qui dicit: « Scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem necessario non excludit » videtur etiam mutari posse sic: « Scientia aut opinio nullitatis *consensus externi* hunc consensum necessario non excludit ». Si matrimonium contrahitur per procuratorem, vel si sanatur in radice partes pariter non sunt sibi consciae de consensu externo.

Quid vero si partes contrahunt matrimonium coram ministro religioso et quidem formula invalida sine ulla ceremonia coram magistratu civili? Matrimonium coram ministro religioso ob defectum consensus externi potest postea convalidari: quia

c) Secundum multos Auctores vita coniugalis affectu maritali habita est sufficiens consensus externus. Haec sen-

tentia ex praxi Ecclesiae sanandi in radice matrimonia confirmatur: quia si matrimonium sanatur in radice, adest consensus internus, qui supponitur perseverare; consensus vero externus antea datus non habuit effectum iuridicum nec potest dici « *perseverare* »: tamen Ecclesia non requirit novum consensum *externum*, immo quandoque concedit sanationem in radice insciis partibus: sine consensu externo vero matrimonium contrahi non potest, nec potest Ecclesia in hac lege dispensare; quare concludendum est in sanatione in radice vitam coniugalem, animo maritali habitam, esse sufficientem manifestationem consensus. Si vero in sanatione in radice haec manifestatio sufficit, etiam sufficiens esse potest pro matrimonio contrahendo.

Cum vero acatholici baptizati non teneantur forma catholica matrimonii *consensus internus naturaliter validus* et exterius manifestatus pro iis sufficit.

Quare concludimus: Si acatholici baptizati matrimonium invalidum inierunt propter defectum consensus externi, matrimonium per subsequentem vitam coniugalem convalidatur, dummodo habuerint — vel nunc habeant — consensum internum verum.

Sane difficillimum est iudicare de validitate matrimonii acatholicorum baptizatorum!

Contra sententiam expositam adduci potest can. 1135: matrimonium (baptizatorum) non potest convalidari sine cognitione nullitatis:

Respondeo: can. 1135 ut supra probare conatus sum applicari potest tantum si matrimonium est nullum propter impedimentum.

III. De consensu modo extraordinario exterius edito.

Ordinarius modus manifestandi consensum est per verba inter praesentes. Iure vero naturali quicumque modus qui dici potest vera manifestatio univoca consensus inter-

ni sufficit sive manifestatio fit per signa, sive per personam intermediam seu procuratorem, sive per litteras.

Codex in canonibus 1088-1091 quaedam praescripta dat pro matrimoniis baptizatorum si consensus manifestatur modo extraordinario.

Can. 1088 § 1 Ad validitatem requirit ut partes sint praesentes sive per se sive per procuratorem. Hoc canone igitur excluditur matrimonium per litteras vel per telegraphum vel telephonum: quod certo lege naturali possibile est, et ideo pro non baptizatis validum est; immo ante Codicem et in Ecclesia Orientali matrimonium per litteras admittitur.

Sed quaeri potest utrum etiam *acatholici* baptizati hoc praescripto teneantur. Sane generatim loquendo subsunt legibus ecclesiasticis, sed specialis hic adest ratio dubitandi:

Vi canonis 1099 § 2 acatholici eximuntur ab obligatione contrahendi matrimonium in forma catholica: ideo manifestatio consensus naturaliter valida pro iis sufficit quin requiratur ut praedita sit specialibus qualitatibus requisitis pro catholicis; sed relate ad formam catholicam praescriptum huius canonis dici potest accessorium: si partes contrahunt in forma catholica debent esse praesentes; si vero ad formam catholicam non obligantur cadente principali cadit accessorium.

Quare putamus matrimonium initum inter acatholicos baptizatos per litteras esse validum.

Contra hanc sententiam duae difficultates moveri possunt:

a)Secundum sententiam fere communem omnium Auctorum acatholici baptizati quamvis exempti a forma catholica in contrahendo matrimonium tamen non sunt exempti a forma catholica in ineundis sponsalibus.

Respondeo: non habetur paritas: Sponsalia sunt tantum praeparatio matrimonii et ab eo adaequate distingu-

untur, manifestatio consensus vero, de quo agitur est elementum ipsius formae:

b) Canon 1088 non ponitur in Codice in capite VI ubi sermo est de forma celebrationis matrimonii sed invenitur in capite V ubi de consensu matrimoniali agitur.

Respondeo: Quamvis consensus externus et forma possunt separatim considerari quia ratione distinguuntur, adaequata distinctio realis inter ea non existit.

Quae diximus supra de can. 1088 ob easdem rationes valent de can. 1089 § 1, 2 et 4: quae ibi sunt iuris ecclesiastici tantum non obligare videntur acatholicos: ideo: statuta dioecesana matrimonium per procuratorem invalidare nequeunt; nec requiritur mandatum subscriptum, neque requiritur ut procurator munere suo per se fungatur.

Quidem requiritur mandatum speciale et consensus perseverans in mandante: haec enim sunt iuris naturalis.

L. Buys S. I.

3

DE CRUCIFIXIS BONAE MORTIS ET VIAE CRUCIS

Crucifixus bonae mortis plerumque dicitur crucifixus cum indulgentia plenaria « toties quoties » nuncupata, quia iste crucifixus indulgentiam plenariam communicavit iam vigente vetere iure tot moribundis quot eo utebantur, quando ceterae indulgentiae reales possessori rei benedictae reservatae erant eoque defuncto peribant. Hodie hoc nomen facile in errorem ducit, ut repetitae protestationes Sanctae Sedis ostendunt (cfr. Periodica XXXII, 98 ss.), neque amplius convenit, quia hodie omnes indulgentiae reales hoc sensu « toties quoties » sunt, quod prosunt omnibus utentibus obiecto indulgentiis ditato, licet ad utentes non pertinente. Indulgentiae vero, quae hodie « toties quoties » vocantur, reapse pro lubitu fidelium repetitis vicibus eodem die acquiri possunt; quod alienum est ab hoc crucifixo, qui singulis semel tantum idque mortis momento indulgentiam plenariam confert; unde ista appellatio erit vitanda et crucifixus simpliciter dicendus bonae mortis.

Juvat tamen notare vere exsistere crucifixum, cui inhaeret indulgentia plenaria pluries in die lucrabilis, quae erronee tribuitur crucifixo bonae mortis, nempe crucifixum viae crucis, cuius osculo vel etiam intuitu tantum fideles valde graviter aegroti indulgentiam plenariam viae crucis pluries in die acquirere valent, ut sequitur.

Pro variis adiunctis Summi Pontifices diversimode reduxerunt viae crucis visitationem personis impeditis iuxta decreta S. C. Indulg. 16 sept. 1859 n. 387 et S. Paenit. 14 dec. 1917, 25 mart. 1931, 20 oct. 1931 ac 20 mart. 1946.

Ordinarie quidem fideles impediti a visitandis viae crucis stationibus, adhibito crucifixo ad hoc benedicto, recitare debent cum pia recordatione passionis Domini viginti Pater, Ave et Gloria ad indulgentias viae crucis lucrandas (S. C. Indulg. n. 387 ad 1). Sed infirmi, qui vi morbi absque gravi incommodo vel difficultate pium exercitium viae crucis nec per visitationem stationum rite erectarum nec per recitationem viginti Pater, Ave et Gloria peragere possunt, indulgentias eiusdem pii exercitii acquirere valent, « dummodo cum affectu et animo contrito osculentur vel etiam tantum intueantur in aliquem crucifixum ad hoc benedictum, eis vel a sacerdote vel ab aliqua alia persona exhibitum, et recitent, *si possint*, brevem aliquam orationem vel precem iaculatoriam in memoriam passionis et mortis Jesu Christi Domini nostri » (Preces et pia opera indulgentiis ditata, Romae 1938 n. 164).

S. Paenitentiaria decreto diei 25 martii 1931 quidem edixit ut crucifixus benedictus graviter infirmo porrigatur ab alia persona; quae condicio in recentiore decreto diei 20 oct. 1931 (A. A. S. XXIII 522), ceteras condiciones mitigante, siletur ideoque suppressa est, et sufficit ut crucifixus ita locatus vel in manibus positus sit, ut aegrotus eum osculari vel intueri queat (Periodica XXI, 122; Linzer Theol.-prakt. Quartalschrift 1932, 393).

Preces iaculatoriae passionem Domini recolentes hae aliaeve in citata collectione « Preces et pia opera indulgentiis ditata » habentur: Adoramus te, sanctissime Domine Jesu Christe, benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum (n. 74). — Domine, tibi gratias ago, quia mortuus es in cruce pro peccatis meis (n. 162). — Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti (n. 184). — Crux mihi certa salus; crux est, quam semper adoro. Crux Domini mecum, crux mihi refugium (n. 156). — O crux ave, spes unica, gentis redemptae gloria! Piis adauge gratiam reisque dele crimina (n. 157).

Attamen indulgentiam plenariam viae crucis lucrari valet ille quoque infirmus, cui vel brevis oratio nimis difficilis est, ita ut, « si quis, vi morbi, vel tantum osculari vel intueri tantum queat in crucifixum ad hoc benedictum, non vero addere precem iaculatoriam, indulgentiam plenariam consequi non impediatur » (S. Paenit. 20 oct. 1931 A. A. S. XXIII, 522; Periodica XXI, 146-148).

Homines vere aegroti saepissime hoc favore uti possunt. « Qui enim doloribus opprimitur, maxime si lecto decumbit, non absque gravi difficultate viginti Pater, Ave et Gloria sine interruptione recitare poterit. In *dubio* de gravitate incommodi *supponere licet* hanc condicionem esse adimpletam, idque ex mente Ecclesiae, quae infirmis hoc exercitium facillimum reddere voluit » (Commentarium pro Religiosis XII, 232). Omnes igitur infirmi, adeo graviter decumbentes, *toties* lucrantur indulgentiam plenariam, *quoties* crucifixum indulgentiis viae crucis ditatum osculantur intuenturve et precem iaculatoriam, si possint, recitant. Unde hic usus vix satis infirmis commendari potest (Periodica XXI, 121) et hic crucifixus longe pluris aestimandus est quam crucifixus, qui dicitur quidem toties quoties, sed reapse semel tantum indulgentiam plenariam singulis infirmis communicat, ultimo vitae momento, prius autem per se nullam indulgentiam confert.

FRANCISCUS XAV. HECHT S. A. C.

MONUMENTA

17 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS* XL [15 iun. 1948] p. 247).

Allocutio

*Ad Emos PP. DD. Cardinales, in festo S. Eugenii I Pp., Beatissimo Patri fausta ominantes.**

La fulgida figura del Papa S. Eugenio I

Per la decima volta la divina Provvidenza Ci concede di ricevere, Venerabili Fratelli, i vostri omaggi nella festa del Nostro Santo Patrono e di esprimervi la Nostra riconoscenza per la vostra intima e fedele collaborazione, non meno che la Nostra fiducia nell'aiuto delle vostre preghiere. Ma per la prima volta Noi abbiamo oggi il conforto di accogliere i vostri auguri presentati così fervidamente e squisitamente dall'amatissimo e degnissimo nuovo Decano del vostro Sacro Collegio. Or sono appena alcuni mesi, Noi ascoltammo ancora, nella ricorrenza del Santo Natale, il venerato e compianto Cardinale Gennaro Pignatelli di Belmonte. Il Signore a sè lo ha chiamato alla sera di un lungo e fecondo corso di vita. Per fare il suo elogio e dire la Nostra gratitudine verso di lui, Ci si offre subitamente allo spirito un detto, che a lui egregiamente conviene e lo dipinge tutto intiero: egli fu il « servo buono e fedele » della Chiesa di Cristo e di questa Sede Apostolica.

---

* Habita die 2 Iunii mensis a. 1948.

Oggi il Nostro pensiero Ci riconduce naturalmente verso il Santo Pontefice, di cui i Nostri genitori nella loro profonda pietà C'imposero il nome e Ci assicurarono il patrocinio al Nostro ingresso nella vita, senza divinarne il misterioso presagio. E Noi che da ben dieci anni governiamo sotto le raffiche della tempesta, sotto i colpi furiosi dell'uragano, la barca di Pietro, sballottata senza posa nè tregua fra gli scogli, Ci sentiamo confortati dal ricordo degli esempi di lui, che fu veramente quaggiù il « *Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo et inventus est iustus* » ed ora dall'eterno riposo della gloria celeste fa discendere sul minimo dei suoi Successori un dolce e potente raggio di luce, che Ci empie di consolazione, di coraggio e di fiducia.

Terrena non metuit! *Non temè nulla sulla terra!*

La sacra Liturgia dipinge nel vigoroso scorcio di una breve antifona la figura di un Sommo Pontefice secondo lo spirito e il cuore del divino Maestro, tutto compreso della gravità della sua missione e delle sue responsabilità: *Dum esset Summus Pontifex, terrena non metuit*: Mentre era sommo Pontefice, non temè nulla sulla terra!

Terrena non metuit! Non temè nulla sulla terra! Ecco il tratto caratteristico, che riepiloga la vita e l'attività di tutti i grandi Papi, il tratto di cui la Chiesa ha voluto fare il titolo di onore di tutti i Papi santi. Dal primo momento in cui, nonostante la Nostra indegnità », fummo chiamati a porCi al loro seguito, Noi lo abbiamo sentito come un perenne ammonimento per la Nostra condotta, ne abbiamo fatto l'ideale, verso il quale con tutte le Nostre deboli forze dobbiamo tendere. In un tempo come il nostro agitato e agitante, in un tempo in cui la verità e l'errore, la fede in Dio e la negazione di Dio, la supremazia dello spirito e il predominio della materia, la dignità umana e l'abdicazione di questa dignità, l'ordina-

mento della ragione e il caos della irragionevolezza si affrontano su tutta la superficie del globo in una lotta definitiva, la missione della Chiesa e del suo Capo visibile non può svolgersi ed adempirsi con la benedizione del Cielo se non sotto la divisa: *terrena non metuit!*

Aver timore? di che cosa? Non siamo Noi dunque forti? L'urto fra i seguaci e i nemici di Cristo è forse insuperabile? La Chiesa soffre al pensiero del male che i suoi avversari fanno a sè stessi, del male che fanno a tante anime piccole, fragili, ignoranti, alle quali sono causa di scandalo e di rovina. Per sè non teme. Anzi una tale intima convinzione di sicurezza non fa che ravvivare l'ardore dei discepoli di Cristo e imprimere in loro più viva e profonda la coscienza della loro forza.

Salutare risveglio

Nella penombra la linea di divisione tra i due campi poteva sembrare quasi fluida agli sguardi superficiali. La gran luce della verità l'ha disegnata nettamente nei punti stessi ove pareva più incerta. E' necessario al presente che chiunque conserva ancora, nel fondo dell'anima sua, un resto di spirito cristiano, si desti. Questo risveglio può scuotere penosamente la placida tranquillità di coloro, a cui il lume della realtà mostra inesorabilmente rinunzie e cambiamenti, ai quali nel dormiveglia non avevano pensato e a cui ormai non è possibile di sottrarsi. Ma è anche risveglio salutare, poichè libera le energie rimaste finora imprigionate e quasi letargiche con grave danno dei singoli e della intera società.

I sentimenti, le risoluzioni, gli atti, che nascono da questo risveglio, non sono confinati, secondo una erronea formula, nel campo detto « puramente religioso », intendendo con queste parole la esclusione da ogni penetrazione nella vita pubblica. Al contrario, il loro oggetto nel terreno civile, nazionale, internazionale, abbraccia ogni

questione ove entrano in causa interessi morali, ogni questione in cui si tratta di schierarsi per Dio, o contro Dio, in una parola ogni questione che esplicitamente o implicitamente tocca la religione.

In questi sentimenti, in queste risoluzioni, in questi atti, le forze cattoliche, pur riservando la loro indipendenza di fronte alle tendenze e agli aggruppamenti politici, possono talvolta seguire un cammino parallelo al loro, in quanto comuni interessi lo consiglino; parallelo, ma non più, senza identificazione nè subordinazione.

Questi sentimenti, queste risoluzioni e questi atti costituiscono il fronte solido della coscienza cristiana per mettere a tempo e luogo un freno all'avanzamento del nichilismo religioso, alle violenze della forza brutale, alle profanazioni della personalità e della dignità umana, agli attentati contro la società o alle sue deviazioni.

Perciò a tutti i Nostri diletti figli e figlie sparsi nel mondo, che si sono arruolati nell'armata di Cristo, votati alla lotta per l'avvento del suo pacifico regno, nel nome di Dio fatto uomo rivolgiamo il Nostro paterno ringraziamento, mentre esprimiamo i Nostri più fervidi voti, affinchè, perseverando fedeli fino alla morte, siano, nel gran giorno della eterna retribuzione, del numero di quei « vincitori », a cui sono riservate le magnifiche, inscrutabili promesse della misteriosa rivelazione[1].

Noi siamo sicuri che essi non si sentiranno offesi, se Noi alla espressione della gratitudine, che sale dal fondo del Nostro cuore, aggiungiamo un nuovo incalzante *Vigilate!* vegliate!

Nelle brevi pause fra due battaglie, questa vigilanza senza indebolimento è più che mai necessaria, perchè allora grande è il pericolo di addormentarsi sugli allori, di svigorirsi e di lasciare che l'avversario riprenda il terreno faticosamente conquistato. I giorni di tregua spesso

---

[1] Cfr. *Apoc.* 2, 7-11.

non sono meno importanti che quei di combattimento. Non debbono essere giorni di vuota e infruttuosa interruzione, ma di opera utile, opera di salvamento, opera di costruzione, per dare corpo e forma alle belle speranze suscitate dalla vittoria.

Opera di salvamento

Questa opera di salvamento deve estendersi anche ai non pochi sviati, i quali, pur essendo — così almeno essi pensano — uniti ai Nostri devoti figlii sul terreno della fede, se ne separano per mettersi al seguito di movimenti che tendono effettivamente a laicizzare e scristianizzare tutta la vita privata e pubblica. Quand'anche valesse per loro il divino « Padre, perdona loro, perchè non sanno quello che fanno » [2], ciò non cambierebbe per nulla la oggettiva perniciosità della loro condotta. Essi si formano una doppia coscienza, in quanto che, mentre pretendono di rimanere membri della comunità cristiana, militano al tempo stesso, come truppe ausiliari, nelle schiere dei negatori di Dio. Ora appunto questa duplicità o questo sdoppiamento minaccia di fare di loro, presto o tardi, un neoplasma pernicioso nel seno della Cristianità. Essi richiamano alla Nostra mente il ricordo di coloro, dei quali l'Apostolo Paolo parlava « piangendo », « flens », e che strappano le lagrime anche ai Nostri occhi, perchè si diportano da nemici della croce di Cristo: *inimicos crucis Christi* [3].

I materni ammonimenti della Chiesa

Finchè è possibile, Noi cerchiamo con bontà e pazienza di aprire loro gli occhi per ricondurli a Colui che solo è via, veritá e vita. Infatti anche per le giuste e salutari so-

---

[2] Luc. 23, 34.
[3] *Phil.*, 3, 18.

luzioni (conformi alle eterne norme divine) delle questioni terrene soccorre la preghiera della Chiesa: « O Dio,... dà a quanti si professano cristiani di respingere ciò che a questo nome è contrario e di seguire quel che gli è consono » [4]. E mentre Noi eleviamo così la Nostra orazione per quei pericolanti, li scongiuriamo al tempo stesso di ascoltare gli ammonimenti della Chiesa, che oggi ancora come Madre amante esorta e prega, affinchè essa non si veda infine costretta di applicar loro la severa sentenza del divino Maestro: « Se non ascolta nemmeno la Chiesa, abbilo come pagano e pubblicano »[5].

Le riforme sociali

Ma la riconquista di tanti cuori erranti o esacerbati, che hanno smarrito i veri concetti e le sane idee sul mondo, su Dio e su se stessi, dipenderà essenzialmente dalla serietà, dalla lealtà, dalla energia e dal disinteresse che tutti gli animi retti apporteranno alla soluzione dei problemi fondamentali nati dalle rovine e dai rivolgimenti della guerra e del dopoguerra. Al centro di tali questioni e tutte dominandole, stanno, come ognuno sa, le riforme sociali, giuste e necessarie, e particolarmente l'urgente bisogno di dare alle classi meno abbienti case, pane, lavoro.

Sarebbe tuttavia pericoloso, perchè facilmente condurrebbe ad amare delusioni, se da quelle riforme si volessero trarre chimeriche speranze ed attese di un pienamente soddisfacente e rapido risultato. Oggi non si tratta soltanto di provvedere ad una ripartizione dei proventi della pubblica economia in maniera più equa e più corrispondente al lavoro e ai bisogni dei singoli. Per quanto importante possa essere questa esigenza, tuttavia nelle presenti condizioni, principalmente dopo le immani distruzioni e vicissitudini cagionate dalla guerra, ogni riforma sociale è strettamente legata con la questione di un saggio

---

[4] *Or. Dom 3 post. Pasch.*
[5] Matth., 18, 17.

ordinamento della produzione. I rapporti tra l'agricoltura e l'industria nelle singole economie nazionali, e di queste con le altre, il modo e il grado della partecipazione di ogni popolo al mercato mondiale, tutti questi difficili problemi si presentano oggi nuovamente e diversamente di prima; dalla loro ragionevole soluzione dipende la produttività delle singole nazioni, e quindi anche il benessere degli individui, poichè è chiaro che dove non vi è sufficiente produzione non può aversi nemmeno sufficiente ripartizione.

Senza dubbio vi sono popoli che si vantano oggi di una potenza di produzione, della quale mostrano di anno in anno il progressivo aumento. Se però questa produttività è ottenuta con una sfrenata concorrenza e con un uso senza scrupoli della ricchezza, ovvero con l'oppressione e lo sfruttamento dispotico del lavoro e dei bisogni dei singoli da parte dello Stato, essa non può essere sana e genuina, perchè l'economia sociale è un ordinamento di lavoratori, dei quali ognuno è dotato di umana dignità e libertà. Lo sfruttamento smoderato dei veri valori umani va ordinariamente di pari passo con quello dei tesori della natura, specialmente della terra, e conduce presto o tardi al decadimento.

Soltanto sui principii e secondo lo spirito del Cristianesimo possono compiersi le riforme sociali, quali sono imperiosamente richieste dalle necessità e dalle aspirazioni del nostro tempo. Esse esigono dagli uni spirito di rinunzia e di sacrificio, dagli altri senso di responsabilità e di sopportazione, da tutti duro ed arduo lavoro. Perciò Noi Ci rivolgiamo ai cattolici del mondo intiero, esortandoli a non contentarsi di buone intenzioni e di bei programmi, ma a procedere coraggiosamente alla loro pratica attuazione. Nè esitino essi a congiungere i loro sforzi con quelli di coloro che, pur essendo fuori delle loro file, tuttavia concordano con la dottrina sociale della Chiesa cattolica e sono disposti a percorrere il cammino da que-

sta tracciato, che non è la via degli sconvolgimenti violenti, ma della provata esperienza e delle energiche risoluzioni.

La guerra in Palestina

Fra i problemi politici, che attendono una adeguata soluzione, è superfluo il dire che viene in primo luogo quello della pace universale. Ed ecco invece che, con profonda costernazione di tutta la Cristianità, le fiamme della guerra, che già ardevano nella nobile Grecia, nell'antichissima Cina, si sono riaccese nei luoghi stessi, ove, or sono quasi due millenni, era risonato il divino messaggio della pace, inaugurante l'opera della salute. La tregua, quantunque provvisoria, annunciata proprio questa notte, deve essere salutata con un sospiro di sollievo, come una aurora di speranza. Come potrebbe il sangue degli uomini continuare a scorrere a torrenti sulla terra che il sangue dell'Uomo-Dio arrossò per apportare a tutti gli uomini la redenzione e la salvezza? Come potrebbe il mondo cristiano contemplare indifferente o in una sterile indignazione quella Terra sacra, alla quale ognuno si accostava col più profondo rispetto per baciarla col più ardente amore, calpestata ancora da truppe in guerra e colpita da bombardamenti aerei? lasciar consumare la devastazione dei Luoghi Santi, sconvolgere il « gran Sepolcro di Cristo »? Dio voglia che il pericolo di un così orrendo flagello possa essere definitivamente scongiurato!

Visioni di pace

Poichè in tal guisa da ormai tre anni il mondo languisce in uno strano malessere ed erra per vari sentieri, titubante fra la pace e la guerra, gli spiriti chiaroveggenti e coraggiosi cercano incessantemente nuove vie verso un varco di salvezza. Mediante ripetuti tentativi di riconci-

liazione, di ravvicinamento fra nazioni dianzi ancora in lotta le une contro le altre, essi si applicano a rimettere in piedi una Europa scossa fin nelle sue fondamenta e a fare di questo focolare di cronica agitazione un baluardo di pace e la provvidenziale promotrice di una generale distensione su tutta la faccia della terra.

Perciò, pur senza voler inserire la Chiesa nel groviglio d'interessi puramente terreni, Noi stimammo opportuno di nominare un Nostro speciale rappresentante al « Congresso dell'Europa » tenutosi recentemente all'Aja, affine di mostrare la sollecitudine e di portare l'incoraggiamento di questa Sede Apostolica per la unione dei popoli. E Noi non dubitiamo che tutti i Nostri fedeli saranno consapevoli che il loro posto è sempre a lato di quegli spiriti generosi i quali preparano le vie alla mutua intesa e al ristabilimento di un sincero spirito di pace fra le nazioni.

Il prossimo Anno Santo

Quanto più il mondo presente mette dinanzi agli occhi lo spettacolo desolante dei suoi dissensi e delle sue contraddizioni, tanto più stringente è il dovere dei cattolici di dare un luminoso esempio di unità e di coesione, senza distinzione di lingue, di popoli e di stirpi.

Alla luce di questo ideale di concordia Noi accogliamo con riconoscenza verso Dio, e con fiducia nella sua assistenza l'approssimarsi dell'Anno Santo. Si è, in qualche momento, potuto dubitare se la Città eterna sarebbe stata materialmente e spiritualmente in grado di assicurare a un avvenimento di così grande portata una degna corona.

Ma la energia, l'elevatezza, il forte sentimento dell'ordine nella giustizia e nella pace, del popolo di Roma e d'Italia hanno prodotto sul mondo cattolico una così profonda impressione da dissipare ogni dubbio e da togliere a qualsiasi timore il suo fondamento.

Quindi con intima letizia e dolce commozione diamo a voi, Venerabili Fratelli, e a tutto l'universo cattolico l'annunzio che nel 1950 il venticinquesimo Anno Santo nella storia della Chiesa sarà celebrato, se così piacerà al Signore, secondo le forme consacrate dalla veneranda tradizione.

Dopo i tristi tempi testè trascorsi, colmi, fino all'orlo del calice, di dolori e di angosce, possa questo Anno veramente santo, con la grazia dell'Onnipotente, per la intercessione dell'augusta Madre di Dio, dei Principi degli Apostoli e di tutti i Santi, essere per la umana famiglia annunziatore di una nuova èra di pace, di prosperità, di progresso! Tale è il Nostro voto più caro, l'oggetto delle Nostre più fervide suppliche.

Che i giorni dell'Anno Santo apportino la risposta del Cielo alla preghiera che, come da un sol cuore, Pastore e gregge, Urbe ed Orbe cattolico, elevando a Dio: *Laetifica nos pro diebus quibus nos afflixisti, pro annis quibus vidimus mala*: Allietaci per i giorni in cui ci hai afflitti, per gli anni in cui abbiamo provato la sventura.

In questa consolante attesa, a voi, Venerabili Fratelli, e a tutti i Nostri diletti figli e figlie che hanno ascoltato questo Nostro Messaggio, impartiamo con particolare affetto la Nostra Apostolica Benedizione.

18 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS* XL [10 iulii 1948] p. 283).

Motu Proprio

DE INSTITUTORUM SAECULARIUM LAUDE ATQUE CONFIRMATIONE

PIUS PP. XII

Primo feliciter elapso anno a promulgata Apostolica Nostra Constitutione *Provida Mater Ecclesia* [1], cum ob oculos multitudinem habeamus tot animarum absconditarum « cum Christo in Deo » [2], quae in saeculo ad sanctitatem adspirant totamque vitam « corde magno et animo volenti » [3] in novis Institutis Saecularibus laetanter Deo consecrant, facere non possumus quin Divinae Bonitati gratias referamus, de novo hoc agmine, quod exercitum consilia evangelica profitentium in saeculo adauxit; itemque de valido subsidio quo nostris hisce perturbatis luctuosisque temporibus catholicus apostolatus providentissime roboratus est.

Spiritus Sanctus, qui faciem terrae tot tantisque malis in dies desolatam et deturpatam recreat et renovat incessanter [4], multos dilectissimos filios et filias, quibus peramanter in Domino benedicimus, magna specialique gratia ad se vocavit ut, in Institutis Saecularibus, collecti et ordinati, insulsi ac tenebricosi mundi, de quo non sunt [5] et in quo tamen ex divina dispositione remanere debent, sal indeficiens sint quod, vocationis ope renovatum, non evanescit [6]; lux, quae inter ipsius mundi tenebras, lucet et non

1 Cfr. *A. A. S.*, XXXIX, n. 4, p. 114.
2 *Col.*, III, 3.
3 *II Mac.*, I, 3.
4 Cfr. *Ps. CIII*, 30.
5 Cfr. IOAN., XV, 19.
6 Cfr. MATTH., V, 13; MARC., IX, 49; LUC., XIV, 34.

extinguitur [7]; ac modicum sed efficax fermentum, quod semper et ubique operans omnibusque civium ordinibus, ab imis ad summos, permixtum, eosdem singulos universos verbo, exemplo cunctisque modis attingere ac permeare nititur, donec integram massam ita informet ut fermentata in Christo sit tota [8].

Ut ob consolantem eiusmodi Spiritus Iesu Christi [9] effusionem tot Instituta ubique gentium orta, ad normas Constitutionis Apostolicae *Provida Mater Ecclesia* efficaciter dirigantur, atque eos optimos sanctitatis fructus, qui sperantur, copiosissime ferant; itemque, ut solide et sapienter in aciem ordinata [10], praelia Domini fortiter in peculiaribus ac communibus apostolatus operibus praeliari valeant, memoratam Apostolicam Constitutionem magna cum laetitia confirmantes, matura deliberatione adhibita, Motu proprio, certa scientia, ac de Apostolicae plenitudine potestatis haec, quae sequuntur, declaramus, decernimus ac constituimus:

I. Societates, clericorum vel laicorum, perfectionem christianam in saeculo profitentes, quae elementa ac requisita in Constitutione Apostolica *Provida Mater Ecclesia* praescripta certa plenaque ratione habere videantur, non debent neque possunt inter communes fidelium Associationes (cc. 684-725) arbitrio, quovis praetextu, relinqui, sed ad propriam Institutorum Saecularium naturam et formam, quae ipsorum characteri ac necessitatibus apprime respondet, reducendae atque elevandae necessario sunt.

II. In hac Societatum fidelium ad superiorem Institutorum Saecularium formam elevatione (cfr. n. I), atque in omnium Institutorum, sive generali sive etiam singulari ordinatione perficienda, illud prae oculis semper habendum est, quod proprius ac peculiaris Institutorum carac-

---

[7] Cfr. Ioan., IX, 5; I, 5; VIII, 12; *Eph.*, V, 8.
[8] Cfr. Matth., XIII, 33; *I Cor.*, V, 6; *Galat.*, V, 9.
[9] Cfr. *Rom.*, VIII, 9.
[10] Cfr. *Cant.*, VI, 3.

ter, *saecularis* scilicet, in quo ipsorum exsistentiae tota ratio consistit, in omnibus elucere debet. Nihil ex plena christianae perfectionis professione, evangelicis consiliis solide fundata et quoad substantiam vere religiosa, detrahendum erit, sed perfectio est *in saeculo* exercenda et profitenda; ac, proinde, cum vita saeculari in omnibus, quae licita sunt et quae cum eiusdem perfectionis officiis et operibus componi valent, accommodetur oportet.

Integra vita sodalium Institutorum Saecularium, professione perfectionis Deo sacra, in apostolatum converti debet, qui ita ex puritate intentionis, ex interiori unione cum Deo, ex generosa oblivione fortique sui ipsius abnegatione, ex animarum amore, est perpetuo sancteque exercendus, ut non minus interiorem spiritum prodat, quo informatur, quam ipsum continuo alat et renovet. Hic apostolatus, qui totam vitam complectitur, tam profunde ac sincere in his Institutis persentiri iugiter solet, ut, Divinae Providentiae ope atque consilio, animarum sitis et ardor non tantum occasionem vitae consecrationis dedisse feliciter, sed magna ex parte suam propriam rationem et formam imposuisse, mirumque in modum, finem, quem specificum appellant, genericum etiam finem exigisse atque creasse videatur. Hic apostolatus Institutorum Saecularium non tantum *in saeculo*, sed veluti *ex saeculo*, ac proinde professionibus, exercitiis, formis, locis, rerum adiunctis saeculari huic conditioni respondentibus, exercendus est fideliter.

III. Quae ad canonicam disciplinam status religiosi spectant Institutis Saecularibus non competunt, nec generatim legislatio religiosa, ad normam Constitutionis Apostolicae *Provida Mater Ecclesia,* ipsis applicari debet aut valet (Art. II, § 1). Illa ex adverso, quae in Institutis inveniantur amice cum ipsorum charactere saeculari coniuncta, dummodo plenae totius vitae consecrationi nullatenus officiant et cum Constitutione *Provida Mater Ecclesia* cohaereant, conservari possunt.

IV. Hierarchica interdioecesana et universalis constitutio ad modum corporis organici Institutis Saecularibus applicari valet (ib., Art. IX), et haec applicatio absque dubio internum vigorem, ampliorem et efficaciorem influxum atque constantiam ipsis conferre debet. Tamen in hac ordinatione, singulis Institutis aptanda, ratio haberi debet naturae finis, quem Institutum persequitur, maioris minorisve ipsius expansionis propositi, eiusdem evolutionis et maturitatis gradus, rerum adiunctorum in quibus versatur, aliorumque id genus. Neque sunt illae Institutorum formae reiiciendae, aut despiciendae, quae confoederatione fundentur et characterem localem in singulis nationibus, regionibus, dioecesibus, retinere ac moderate fovere velint, dummodo rectus sit et catholicitatis Ecclesiae sensu informatus.

V. Instituta Saecularia, quorum membra, etsi in saeculo commorantur, ex plena tamen Deo et animabus consecratione quam, probante Ecclesia, profitentur, et ex interna ordinatione hierarchica interdioecesana et universali, quam diversis gradibus habere valent, inter status perfectionis iuridice ab Ecclesia ipsa ordinatos et recognitos, ex Apostolica Constitutione *Provida Mater Ecclesia* iure meritoque numerantur. Consulto igitur illius S. Congregationis competentiae et curae Instituta adiudicata et commissa fuerunt, quae *de statibus publicis perfectionis* regimen et curam gerit. Hinc, salvis semper, ad canonum tenorem et expressum Constitutionis Apostolicae *Provida Mater Ecclesia* praescriptum (Art. IV, §§ 1 et 2), iuribus S. Congregationis Concilii circa communes pias sodalitates piasque uniones fidelium (c. 250, § 2) et S. Congregationis de Propaganda Fide circa societates ecclesiasticorum ad seminaria pro exteris missionibus (c. 252, § 3), omnes societates ubique gentium — etsi ordinaria vel etiam pontificia approbatione suffultas —, cum elementa et requisita Institutorum Saecularium propria habere noscan-

tur, ad hanc novam formam necessario illico redigendae sunt, secundum normas supra dictas (cfr. n. I), atque, ut directionis unitas servetur, uni S. Congregationi de Religiosis, in cuius sinu speciale de Institutis Saecularibus Officium constitutum fuit, merito attribui ac devolvi decrevimus.

VI. Moderatoribus vero et adsistentibus Actionis Catholicae aliarumque fidelium Associationum, in quarum materno gremio ad vitam integre christianam simul educantur, et apostolatus exercitio initiantur tam numerosi atque electi iuvenes, qui ad altiora assequenda sive in Religionibus ac Societatibus vitae communis, sive in Institutis etiam Saecularibus, superna vocatione invitantur, paterno ex animo commendamus, ut sanctas eiusmodi vocationes generose promoveant; ac non solum Religionibus et Societatibus, sed his etiam vere providentialibus Institutis, adiutricem manum praebeant, atque libenter, salva interna ipsorum disciplina, eorumdem opera utantur.

Horum omnium, quae Motu proprio constituimus, fidelem exsecutionem S. Congregationi de Religiosis aliisque supra recensitis Ss. Congregationibus, Ordinariis locorum ac Societatum quarum interest Directoribus — quatenus ipsa ad singulos pertineant — auctoritate Nostra committimus.

Quae autem his Litteris, Motu proprio datis, statuimus, ea semper valida et firma esse iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XII mensis Martii, anno MDCCCCXXXXVIII, Pontificatus Nostri ineunte decimo.

PIUS PP. XII

19 - S. Congregatio de Religiosis

(*AAS* XL [10 iulii 1948] p. 253).

Instructio

DE INSTITUTIS SAECULARIBUS

Cum Ss.mus Dominus Noster Constitutionem Apostolicam *Provida Mater Ecclesia* promulgavit, ad ea omnia executioni efficacius mandanda quae sapienter in Constitutione statuta fuerunt, Sacram Congregationem de Religiosis, cuius competentiae Instituta Saecularia commissa sunt (*Lex peculiaris,* Art. IV, §§ 1 et 2), deputare dignatus est, ipsi omnes necessarias et opportunas facultates ad hunc finem concedens.

Inter munera et officia quae ex hac pontificia deputatione, iuxta ipsius Constitutionis expressam definitionem, Sacram Congregationem gravant, illud recensendum quod « prout necessitas ferat atque experientia suffragetur, sive Constitutionem Apostolicam interpretando sive ipsam perficiendo atque applicando », ipsa Congregatio normas edere valeat, quae ad Instituta Saecularia generatim, vel ad aliqua ex eis singillatim necessariae seu utiles reputentur (Art. II, § 2, 2°).

Iamvero, etsi completae atque definitivae nórmae Instituta Saecularia respicientes, ne hodierna ipsorum Institutorum evolutio periculose coarctetur, in opportunius tempus melius differantur, tamen expedit ut aliqua, quae non ab omnibus in Constitutione Apostolica *Provida Mater Ecclesia* clare perspecta recteque fuerunt interpretata, planius statim declarentur atque in tuto ponantur, adamussim servatis praescriptionibus quae, in Litteris *Primo feliciter,* a Ss.mo Domino Nostro Motu proprio, sub die XII decurrentis mensis datis, statuuntur. Hinc Sacra Congregatio, per modum Instructionis, supremas normas col-

ligere et clare digestas edere decrevit, quae merito basilares reputandae sunt ad solide instituta Saecularia inde ab initio constituenda et ordinanda.

1. Ut aliqua Associatio, etsi perfectionis christianae professioni atque apostolatus exercitio in saeculo impense dedita, nomen et titulum *Instituti Saecularis* assumere iure meritoque valeat, non solum illa omnia atque singula elementa habere debet quae, ad normam Constitutionis Apostolicae *Provida Mater Ecclesia,* ut necessaria et integralia Institutorum Saecularium recensentur ac definiuntur (Art. I et III), sed praeterea necesse prorsus est ut ab aliquo Episcopo, hac Sacra Congregatione prius consulta, approbata atque erecta sit (Art. V, § 2; Art. VI).

2. Associationes fidelium, quae rationem notasque habent in Constitutione Apostolica descriptas, ab hac Sacra Congregatione de Religiosis omnes ubique, sive in territoriis iuris communis sive in territoriis Missionum, iure ad normam ipsius Constitutionis dependent (Art. IV, §§ 1 et 2) et Constitutionis Legi peculiari subiiciuntur, nec quavis ratione vel titulo ipsis licet, iuxta Litteras *Primo feliciter* (n. V), inter communes Associationes fidelium (C. I. C., L. II, P. III) remanere, salvo n. 5 huius Instructionis.

3. Ad veniam pro erectione novi Instituti Saecularis obtinendam, Episcopus loci, et non alius, hanc Sacram Congregationem adire debet, eam distincte docendo de iis omnibus quae in Normis pro erectione et approbatione Congregationum ab ipsa S. C. de Religiosis editis (6 martii 1921, nn. 3-8) definiuntur, congrua tamen congruis referendo (Art. VII). Mittenda etiam sunt schemata Constitutionum (sex saltem exemplaria), lingua latina vel alia in Curia recepta exarata, et insuper Directoria aliaque documenta, quae ad Associationis rationem atque spiritum dignoscendum inservire valeant. Constitutiones ea omnia continere debent, quae Instituti naturam, genera socio-

rum, regimen, formam consecrationis (Art. III, § 2), vinculum e Sodalium Instituto incorporatione ortum (Art. III, § 3), communes domos (Art. III, § 4), membrorum institutionis rationem atque exercitia pietatis respiciunt.

4. Associationes quae ante Const. *Provida Mater Ecclesia* legitime, ad normam praecedentis iuris, erectae vel approbatae ab Episcopis erant, vel pontificiam Associationum laicalium aliquam approbationem obtinuerant, ut ab hac Sacra Congregatione qua Instituta Saecularia, sive iuris dioecesani sive pontificii, recognosci valeant, ad ipsam Sacram Congregationem documenta erectionis vel approbationis, Constitutiones quibus hucusque regebantur, brevem relationem historicam, disciplinarem et apostolatus, ac, praesertim si iuris tantum dioecesani sint, etiam testimonia Ordinariorum in quorum dioecesibus sedes habent remittere debent. His omnibus ad normam Art. VI et VII Const. *Provida Mater Ecclesia* perpensis atque attente examinatis, prout casus ferat venia erectionis vel Decretum laudis concedi poterit.

5. Associationes non ita pridem fundatae, vel non sufficienter evolutae illaeque etiam quae in dies excitantur, etsi spem bonam de se concipere merito faciant quod si res secunde procedant ex ipsis Instituta Saecularia solida ac genuina exurgere valeant, opportunius erit si non statim S. Congregationi proponantur ut venia erectionis ab ipsa impetretur. Ex regula generali, quae nonnisi gravibus de causis rigide probatis, exceptionem pati debet, hae novae Consociationes, donec sufficiens specimen dederint, sub paterna Auctoritatis dioecesanae manu et tutela retineantur et exerceantur, prius uti merae Associationes, quae facto potius quam iure existunt, deinde, non quidem per saltum sed pedetemptim atque per gradus, sub aliquibus ex formis Associationum fidelium, ut Piae Unionis, Sodalitii, Confraternitatis, iuxta casus evolvantur.

6. Dum hae praeviae evolutiones (n. 5) perdurant ex quibus clare demonstrandum est, revera de Associationibus agi, quae plenam vitae perfectioni et apostolatui consecrationem sibi proponunt, quaeque alias omnes habeant notas quae in vero Instituto Saeculari exiguntur, attente invigilandum est ne quidquam his Associationibus interne vel externe permittatur, quod praesentem ipsarum conditionem excedat, et specificae Institutorum Saecularium rationi et naturae respondere videatur. Illa praesertim vitentur quae, denegata postea venia pro erectione in Institutum Saeculare, facile auferri vel destrui non possent et Superioribus vim quamdam inferre viderentur ad approbationem concedendam vel nimis facile largiendam.

7. Ad iudicium securum et practicum ferendum de vera natura Instituti Saecularis alicuius Associationis, scilicet an ipsa in saeculari statu et conditione sua membra ad illam plenam consecrationem et deditionem efficaciter ducat quae, etiam in foro externo, imaginem referat status perfectionis completi, et quoad substantiam vere religiosi, haec sunt accurate perpendenda.

a) an sodales qui, ut membra strictiore sensu sumpta Associationi inscribuntur, « praeter illa pietatis et abnegationis exercitia » sine quibus perfectionis vita vana illusio dicenda esset, tria generalia consilia evangelica una ex diversis formis quae Constitutio Apostolica admittit (Art. III, § 2), practice et solide, profiteantur. Possunt tamen admitti, ut membra latiore sensu accepta, et maiore vel minore vi seu intentione Associationis corpori adscripta, Sodales qui ad evangelicam perfectionem adspirent ipsamque in propria conditione exercere nitantur, etsi non singula consilia evangelica altiore gradu complectantur seu complecti valeant;

b) an vinculum, quo membra strictiore sensu sumpta et Associatio inter se ligantur, *stabile, mutuum* ac *plenum*

sit, ita ut ad normam Constitutionis, Sodalis Associationi se totum tradat et Associatio talis sit vel serio fore praevideatur, quae de Sodali curam gerere atque de ipso iure respondere velit ac possit (Art. III, § 3, 2°);

c) an et qua ratione seu quo titulo sedes communes, quae in Constitutione Apostolica (Art. III, § 4) praecipiuntur, actu habeat seu habere nitatur, ut fines ad quos ipsae ordinantur obtineat.

d) an illa vitentur, quae Institutorum Saecularium naturae ac rationi non essent consentanea, ut ex. gr.: habitus qui non respondeat saeculari conditioni, vita communis ad modum vitae communis religiosae vel huic aequiparatae (Tit. XVII, L. II, C. I. C.) externe ordinata (Art. II, § 1; Art. III, § 4).

8. Instituta Saecuaria, ad normam Art. II, § 1, 2°, Constitutionis Apostolicae *Provida Mater Ecclesia,* salvisque eiusdem Constitutionis Art. X, et Art. II, § 1, 1°, Religionum aut Societatum vitae communis proprio peculiarique iure non obligantur neque ipso uti possunt. Sacra tamen Congregatio, aliqua particularia praescripta iuris religiosi Institutis Saecularibus etiam convenientia, per exceptionem, ad Constitutionis tenorem (ibidem, Art. II, § 1, 2°), accommodare et applicare, immo et criteria quaedam plus minusve generalia, experientia comprobata et rerum intimae naturae respondentia, prudenter ex illo iure requirere poterit.

9. In particulari: *a*) Etsi praescripta can. 500, § 3, stricte Instituta saecularia non respiciant, nec prout iacent eisdem applicare necesse sit, tamen ex eis solidum criterium et clara directio pro approbandis et ordinandis Institutis Saecularibus deduci consulto potest.

b) Esti nihil impediat quominus, ad normam iuris (can. 492, § 1), Instituta Saecularia Ordinibus aliisque etiam Religionibus, ex speciali concessione, aggregari, et ab ipsis diversimode adiuvari et etiam aliquo modo moraliter diri-

gi valeant, tamen aliae strictioris dependentiae formae, quae Institutorum Saecularium regiminis autonomiae detrahere viderentur ipsamve tutelae plus minus strictae subiicere, etiamsi ab ipsis Institutis, mulierum speciatim, desiderentur et invocentur, non nisi difficuter, bono Institutorum attente considerato, atque spiritu et apostolatus cui incumbere debent natura ac ratione ponderatis, opportunisque adhibitis cautelis, concedi poterunt.

10. Instituta Saecularia, *a*) ex statu plenae perfectionis, quam profitentur, et ex totali apostolatui consecratione, quam imponunt, in hoc eodem genere perfectionis et apostolatus, ad maiora evidenter vocantur, quam ea quae fidelibus, optimis etiam, in Associationibus mere laicalibus aut in Actione Catholica aliisque piis operibus laborantibus sufficere viderentur; *b*) ita tamen propria apostolatus exercitia et ministeria, quae peculiares fines ipsorum Institutorum constituant, suscipere debent, ut eorum Sodales — vitatis accurate confusionibus — praeclarum abnegatae, humilis, constantis collaborationis cum Hierarchia exemplum, aliis fidelibus qui eos vident et observant, pro viribus praebere possint, salva semper interna eorum disciplina (cfr. Motu proprio *Primo feliciter*, n. VI).

1. *a*) Ordinarius, dum obtenta venia Sanctae Sedis erectionem Instituti Saecularis peragit, quod prius ut Associatio vel de facto vel ut Pia Unio seu Sodalitium exsistebat, definire poterit an expediat, relate ad conditionem personarum figendam et ad requisita in Constitutionibus Instituti computanda, rationem habere illorum quae prius facta fuerunt, ex. gr. probationis, consecrationis, etc.

b) In primis decem annis Instituti Saecularis, ab ipsius erectione computandis, Episcopus loci a requisitis aetatis, temporis probationum, annorum consecrationis aliorumque similium, quae pro omnibus Institutis generatim vel pro aliquo praescripta sint, dispensare potest in ordine ad officia, munera, gradus aliosque iuridicos effectus.

c) Domus seu centra ante canonicam erectionem Instituti fundata, si ex venia utriusque Episcopi ad normam can. 495, § 1 fuerunt constituta, ipso facto erectionis partes fiunt Instituti.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Religiosis, die XIX mensis Martii, Sancto Iosepho, Sponso Beatae Mariae Virginis, sacra, anno MDCCCCXXXXVIII.

✠ ALOISIUS Card. LAVITRANO, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† Fr Lucas Hermenegildus Pasetto, *Secretarius*.

Annotationes

Ex introductione litterarum Motu proprio editarum *Primo feliciter* docemur multos esse fideles qui in Institutis saecularibus se Deo plene consecrare velint eosque ubique gentium reperiri. Revera non exiguus est numerus associationum pro quibus erigendis vel approbandis Ordinarii S. Congregationem de Religiosis adierunt. Sancta Sedes autem valde caute, praesertim in dandis normis, procedere intendit, ne ipsa istorum Institutorum evolutio detrimentum patiatur.

Adhuc enim in principiis experientiae versamur (Instr., Introd.). Attamen Summus Pontifex cum immediate, tum indirecte per tramitem S. Congregationis normas quasdam Legis particularis (cfr. *Per.*, 1947, 112) explicare et complere necessarium iudicavit ut securius Instituta erigantur et dirigantur. Quaedam autem ex his novis documentis accuratius examen merentur.

1. Clarius et instantius quam antea asseritur *competentia S. C. de Religiosis* relate ad haec Instituta, strictius definiendo competentiam S. Congregationis Concilii et de Propaganda Fide. Haec enim competens est « circa societates ecclesiasticorum ad seminaria pro exteris missio-

nibus » (c. 252, 3), illa « circa communes pias sodalitates piasque uniones fidelium » (c. 250, 2). Idque tantum.

Instituta vero saecularia omnia, etiam in territoriis missionum erecta vel erigenda S. Congregationi de Religiosis subiciuntur (*M. P.* n. 5; *Instr.* n. 2).

Rationes sunt in promptu: a) Instituta saecularia sunt forma quaedam status perfectionis ab Ecclesia recognita. Iamvero S. C. de Rel. « de statibus publicis perfectionis regimen et curam gerit » (*ibid.*); b) directionis unitas suadet ut eadem S. Congregatio, sine distinctione personarum (v. g. clericorum) vel locorum (v. g. missionum) omnium Institutorum curam gerat.

Notandum est praeterea in sinu huius S. Congregationis constitutam esse specialem Commissionem cui hoc negotium committitur et S. Congregationi munus commissum normas edendi « prout necessitas ferat atque experientia suffragetur, sive Constitutionem Apostolicam *Provida Mater Ecclesia*) interpretando sive ipsam perficiendo atque applicando » (Instr. Prooemium).

Si quod vero Institutum timet ne ob illam dependentiam ipsum pro religione, eius socii pro religiosis habeantur, satis erit textum documentorum pontificiorum allegare ut haec confusio prorsus vitetur. Pluries enim repetitur normas quae pro religiosis dantur ad ipsa nullatenus extendi vel applicari (*M. P.*, n. III).

2. Sedulo distinguuntur associationes quae Instituta saecularia fieri debent vel non possunt.

1° Si quae Associatio iam modo stabili omnes condiciones implet quibus Instituta saecularia satisfacere debent, inter communes fidelium associationes manere non possunt, sed *debent* Instituta saecularia fieri (*M. P.*, I; *Instr.*, n. 2).

2° Contra, si talis associatio nondum satis experientia documentum suae aptitudinis dederit, melius est ut non statim a S. Congregatione « *Nihil obstat* » vel approbationem petat.

3° Immo si quae fidelium associatio sit satis recentis

ortus vel se parum evolverit, S. Congregatio hortatur Ordinarium loci ut, suo iure utens, eam primo tamquam piam unionem vel confraternitatem erigat (*Instr.*, n. 5).

Haec associatio possit paulatim sese vitae Instituti saecularis magis conformare. Curet tamen Ordinarius ut, praesertim in externo vivendi modo, ipsi iura non concedat quae Sanctam Sedem cogere viderentur ad suum « *Nihil obstat* » concedendum (*Instr.* n. 6).

3. Solus *episcopus loci*, ergo residentialis, non mere titularis, Institutum saeculare erigere potest postquam a S. Congregatione licentiam seu « Nihil obstat » acceperit (*Instr.* n. 3). — A facultate talis erectionis excluduntur Vicarius Generalis, etiam, ut videtur, mandato speciali et Vicarius Capitularis, vi principii : « Sede vacante nihil innovetur ».

4. Si spiritum et vitam interiorem Institutorum saecularium inspiciamus, essentialia quaedam status perfectionis elementa cum religionibus communia habent :

1° Sanctiorem vitam quam pii laici sibi proponere debent (*M. P.*, n. 6; *Instr.* n. 10).

2° Ad veram consiliorum evangelicorum praxim se in perpetuum obligant (*Const.*, III, §§ 2-3).

3° Pietatis et varia abnegationis exercitia assumunt (*Const.*, III, § 2; *Instr.* n. 7).

Et sic « imaginem referunt statuus perfectionis completi et quod ad substantiam vere religiosi » (*Instr.* n. 7).

Sed, secus ac Sodales religionum, cum in saeculo vivant et apostolatum exerceant, huic condicioni cum media perfectionis tum formam et media apostolatus accommodent necesse est (*M. P.*, n. II).

5. Si condicionem iuridicam et externum vivendi modum Institutorum saecularium consideremus, potius in discrepantiis quibus a religionibus vel Societatibus vitae communis seiunguntur insistendum est (*M. P.*, n. II).

Ipsi non applicantur v. g. canones de erigendis domibus, de confessariis ordinario et extraordinario, de habitu,

de vita *perfecte* communi, de duratione noviciatus vel votorum, de clausura, de negotiatione, etc. etc.

6. S. Congregatio admittit in eodem Instituto vivere posse « membra strictiore sensu sumpta » et « latiore sensu sumpta ». — Discrimen ex modo profitendi evangelica consilia desumitur (*Instr.* n. 7, a.). Haec membra « maiore vel minore vi seu intentione associationis corpori adscripta sunt. Videmus ergo in ipsis Institutis saecularibus exsistere posse « sodales aggregatos » ut iam magis in dies fit in Congregationibus religiosis.

7. S. Congregatio, ut licentiam erigendi Institutum saeculare concedat, plura documenta a se inspicienda exigit quam saepius fiebat pro concedendo « *Nihil obstat* » ad condendam Congregationem religiosam. Nam praeter notitias de fundatore, de fine speciali, de mediis praecipuis sanctificationis et apostolatus, de subsidiis temporalibus, ad S. Congregationem mittenda sunt schema Constitutionum, Directoria si quae sint et alia documenta quae iuvent ad dignoscendum Institutum (*Instr.* n. 3). — Notandum tamen ex stilo S. Congregationis etiam ad concessionem « *Nihil obstat* » pro erigenda Congregatione religiosa plura requiri exhibenda quam in Normis praescribebatur.

8. Cum Lex particularis praescribat ut Institutum saeculare sedes communes habeat, pars sodalium aliquam vitam communem habebit. Quare, per se, etiamsi non pauci sodales sub eodem tecto vivant ideoque mensam quoque communem habeant et alia exercitia communiter peragant, eorum tamen associatio tamquam Institutum saeculare erigi poterit. Excluditur vita communis « ad modum vitae communis religiosorum vel huic aequiparatae » (*Instr.* n. 7, d.). In religionibus autem vita communis supponit sodales non tantum sub eodem tecto plerumque degere, sed ab ipsa religione accipere cibum, vestes, suppellectilem, et quidem ita ut, salva necessitate speciali, omnes religiosi eodem modo tractentur.

9. Ad normam *M. P.*, n. III, § 2 sodales Institutorum

saecularium se ad servanda consilia evangelica voto obligare possunt. Iamvero oritur quaestio utrum haec vota privata an publica dicenda sint. Per se privata esse possint, etsi externe *coram Superiore*, non in manus Superioris fiant. Praeterea in *L. P.*, art. II, § 1 dicitur: « Instituta saecularia, cum nec tria publica religionis vota (cc. 1308, § 1 et 488, 1°) admittant ... ». Nonne his verbis excluduntur vota publica in Institutis saecularibus? Id non censuerimus.

Excluduntur vota publica *religionis*. Sed ut votum non sit privatum sufficit ut a Sancta Sede agnoscatur, normas accipiat, effectum quemlibet canonicum habeat. Iamvero in approbationem constitutionum nonne potest inesse quoque aliqua approbatio trium votorum, si in Instituto fiant, ita ut effectum aliquem canonicum obtineant, v. g. non possint sine facultate speciali dispensatione tolli, attendenda sint, si perpetua sint, in dimissione, etc? Definitio voti publici in Codice nobis non videtur applicari posse solis votis religiosis, i. e. in professione religiosa facta. In hac quaestione praxis S. Congregationis vel nova authentica declaratio lumen afferet.

10. Valde notanda sunt quae in *Motu Proprio*, IV, de hierarchica Institutorum saecularium constitutione dicuntur. Duplex enim forma praevidetur. Prima est illa qua Institutum hierarchiam internam unicam, interdioecesanam, universalem habet. Plerumque, ni fallimur, ita erigentur et regentur. Huiusmodi constitutioni favere videtur Summus Pontifex quia « haec applicatio absque dubio internum vigorem, ampliorem et efficaciorem influxum atque constantiam ipsis conferre debet ». Sed non reicitur constitutio localis, quae finibus dioeceseos limitetur, ut est in piis fidelium unionibus. Haec autem Instituta localia inter se confoederationem instituere possunt sicut monasteria sui iuris saepius inter se in congregationibus monasticis uniuntur aut Congregationes ipsae inter se confoederantur. Qui modus constitutionis neque reiciendus neque despiciendus est.

11. Quia sunt saecularia illa Instituta cum formas vitae perfectioris tum rationem et praxim apostolatus vitae in saeculo accommodare, immo et *ex saeculo* trahere debent.

V. g. vestis ea sit oportet quae sodales ab honestis suae condicionis fidelibus non distinguat; vitanda sunt praescripta quae apostolatui in saeculo nocerent, v. g. ne soli exeant et iter faciant; apostolatus in professione exerceatur oportet, etc.

12. Primis post erectionem temporibus plura observari nequeunt quae plene stabilitum Institutum supponunt. Exemplo sit tempus requisitum ut quis ad munus Superioris generalis vel localis deputetur, concessio iuris suffragii in capitulis electionum, etc. Id praevidens S. Congregatio Ordinariis speciales facultates ad decennium valituras concedit (*Instr.* n. 11).

13. Cum professio stabilis consiliorum evangelicorum elementum essentiale status perfectionis sit, non est negandum plura Instituta saecularia ad plenam status perfectionis formam magis accedere quam plures societates vitae communis sine tribus votis publicis. In his enim saepe valde attenuatur praxis paupertatis et oboedientiae dum in Institutis saecularibus vera quaedam praxis trium consiliorum evangelicorum praescribitur. Contra, status religiosus illam praxim vi votorum publicorum et in vita communi exigit et sic omnia elementa status perfectionis plene comprehendit.

I. Creusen S. I.

20 - S. Congregatio de Religiosis

(*AAS* XL [9 septembr. 1948] p. 378).

Decretum

DE QUINQUENNALI RELATIONE A RELIGIONIBUS, A SOCIETATIBUS VITAE COMMUNIS ET AB INSTITUTIS SAECULARIBUS FACIENDA.

Cum, transactis iam viginti quinque et amplius annis a publicatione Decreti *Sancitum est,* sub die 8 Martii 1922 [1], quo ordinabatur relatio quinquennalis a Supremis Religionum Moderatoribus ad Sanctam Sedem mittenda (c. 510), experientia clare docuerit quaenam ex ibi praescriptis confirmanda definitive videantur, quaenam illis addenda, quaenam autem demenda aut corrigenda sint, prout a dicto Decreto iam innuebatur, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita in coetu plenario Eminentissimorum Patrum diei 4 Iulii 1947, quae sequuntur statuenda decrevit:

1. Ad normam Codicis (can. 510) Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae (can. 488, 8), Moderator Supremus cuiusvis Religionis et Societatis vitae communis absque votis publicis (can. 675) pariterque Moderator Supremus Instituti saecularis iuris pontificii et Praeses cuiuscumque Foederationis domorum Religionum, Societatum in communi viventium vel Institutorum saecularium, ipsisque deficientibus vel impeditis, eorumdem Vicarii (can. 488, 8°), quinto quoque anno relationem de statu Religionis, Societatis, Instituti vel Foederationis ad Sanctam Sedem, scilicet ad hanc Sacram Congregationem Negotiis Religiosorum praepositam, mittant, etiamsi annus pro exhibenda relatione assignatus, ex toto vel ex parte, in primum biennium ab inito regimine inciderit.

---

[1] *Acta Apost. Sedis,* vol. XIV, a. 1922, p. 161.

II. Quinquennia sint fixa et omnibus, uti supra (n. I), communia, ipsaque a die prima Ianuarii 1923 computari pergent.

III. In relationibus exhibendis ordo, prout sequitur, servetur:

1° Ex Religionibus, Societatibus vitae communis, Institutis saecularibus ac Foederationibus iuris pontificii virorum relationem mittent:

primo quinquennii anno: Canonici Regulares, Monachi, et Ordines militares;

secundo anno: Mendicantes et Clerici ceterique Regulares;

tertio anno: Congregationes clericales;

quarto anno: Congregationes laicales;

quinto anno: Societates vitae communis, Instituta saecularia et Foederationes.

2° Ex Religionibus, Societatibus vitae communis, Institutis saecularibus et Foederationibus iuris pontificii mulierum, habito respectu ad regionem in qua de iure domus princeps exstat, relationem mittent:

primo quinquennii anno: Superiorissae Religionum ex Italia, Hispania et Lusitania;

secundo anno: Superiorissae Religionum ex Gallia, Belgio, Hollandia, Anglia et Hibernia;

tertio anno: Superiorissae Religionum ex reliquis Europae regionibus;

quarto anno: Superiorissae Religionum ex Americae regionibus;

quinto anno: Superiorissae Religionum ex aliis orbis partibus et insuper Superiorissae Societatum vitae communis, Institutorum saecularium et Foederationum totius mundi.

IV. Ut Sacra Congregatio necessarias ipsasque certas et authenticas notitias sibi comparare valeat illorum omnium Monasteriorum domorumque sui iuris, virorum et mulierum, iuris pontificii quae ad quinquennalem relatio-

nem transmittendam ex can. 510 non obligantur, necnon Congregationum, Societatum vitae communis et Institutorum saecularium iuris dioecesani haec observanda sunt:

1° Superiores maiores Monasteriorum seu domorum sui iuris virorum quae, etsi iuris pontificii, nec ad Congregationem monasticam pertinent nec foederata aliis sint, tempore et ordine supra definitis (n. III, 1°), summariam quinquennii relationem ab ipsis et a propriis Consiliariis subscriptam Ordinario loci deferent. Ordinarius autem exemplar relationis a se subsignatum, propriis, si casus ferat, additis animadversionibus, ad Sacram Congregationem intra annum ipsum quo relatio facta est transmittere sataget.

2° Superiorissae maiores Monasteriorum Monialium cum proprio Consilio, iuxta ordinem supra (n. III, 2°), pro Generalibus Moderatricibus subscriptam Ordinario loci, si Moniales eidem subiectae sint, secus Superiori Regulari mittant. Ordinarius loci vel Praelatus regularis relationis exemplar, a se subsignatum, propriisque, si res ferat, animadversionibus additis, ad Sacram Congregationem intra annum ipsum quo relatio exarata fuit diligenter transmittendam curabit.

3° Moderatores Supremi Congregationum, Societatum vitae communis et Institutorum saecularium iuris dioecesani relationem quinquennalem a se et a proprio Consilio subsignatam Ordinario loci in quo Domus princeps invenitur tempore et ordine supra (n. III, 1° et 2°) statutis exhibeant. Hanc relationem Ordinarius loci aliarum Domorum Ordinariis communicare non omittat eiusque exemplar a se subsignatum et, proprio aliorumque Ordinariorum circa Congregationem, Societatem vel Institutum saeculare addito iudicio, ad hanc Sacram Congregationem intra ipsum annum transmittat.

4° Domus religiosae sui iuris et autonomae domusque Societatis sine votis vel Instituti saecularis, quae in Foederationem non coadunantur, sive iuris dioecesani sint sive

iuris pontificii, ordine supra (n. III, 1° et 2°) definito, summariam quinquennii relationem deferent Ordinario loci. Ordinarius autem eiusdem relationis exemplar, a se subscriptum ac propriis, si casus ferat, additis animadversionibus ad Sacram Congregationem pariter intra ipsum annum transmittat.

V. In exarandis relationibus omnes Religiones, Congregationes monasticae, Societates vitae communis, Instituta saecularia et Foederationes iuris pontificii, etsi exemptione fruantur, adamussim elenchum quaestionum, qui a Sacra Congregatione proponetur ac directo eisdem communicabitur, sequantur.

Monasteria Monialium, Domus autonomae Religionum, Societatum vel Institutorum saecularium iuris pontificii, Congregationes, Societates atque Instituta saecularia iuris dioecesani breviores pro ipsis probandas formulas adhibeant.

VI. Responsa propositis quaestionibus danda, onerata pro rei gravitate conscientia, sincera semper sint atque, accuratis praemissis informationibus, pro viribus completa .Si in illis quae necessaria videntur deficiant vel responsa incerta vel parum secura appareant, Sacra Congregatio ex officio, prout opportunum iudicaverit, non exclusis, si opus sit, immediate ab ipsa factis investigationibus, ea complenda curabit.

VII. Relatio, antequam a Superiore et a singulis Consiliariis seu Assistentibus ex officio subsignetur, praevio maturo, personali ac collectivo examini subiicienda est.

In mulierum Religionibus, Societatibus vitae communis, Institutis saecularibus ac Foederationibus iuris pontificii Moderatrix suprema relationem, a se et a suo Consilio subscriptam, Ordinario loci Domus generalitiae transmittat, ut ipse, ad normam iuris (can. 510) eidem relationi subscribere valeat: relationem ab Ordinario loci subsignatam Moderatrix generalis ad hanc Sacram Congregationem remittendam tempestive curabit.

VIII. Si quis vero ex Superioribus vel Consiliariis, quibus onus incumbit subscribendi relationi, aliquid non parvi momenti eidem obiiciendum habeat, quod suo voto modificare non potuit, vel aliquid circa ipsam quoquo modo Sacrae Congregationi significandum putaverit, id per privatas litteras praestare poterit et, iuxta casus, ex conscientiae officio ad id tenebitur. Verumtamen memor sit ipse conditionis suae et probe sciat conscientiam suam graviter oneratam iri, si quid a veritate alienum secretis his litteris exponere praesumpserit.

IX. Sub cuiusque anni exitu omnes sive iuris dioecesani sive pontificii, tam Religiones, quam Societates vitae communis et Instituta saecularia ac Foederationes prospectus annuos iuxta schemata in formulis a Sacra Congregatione exarandis ac communicandis contenta, praecipuorum quod ad statum personarum, operum aliorumve quae sive Sacrae Congregationis sive Superiorum magis interesse videntur, directo Sacrae Congregationi de Religiosis transmittant.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Pp. XII, in Audientia habita ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis de Religiosis, die 9 Iulii 1947, praesentis Decreti tenorem approbavit et ab omnibus servari et publici iuris fieri mandavit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

† Fr. L. H. Pasetto, *Secretarius.*

Annotationes

Nota specialis huius Decreti est extensio obligationis relationis quinquennalis ad religiones, Societates et Instituta saecularia etiam iuris dioecesani.

Haec obligatio primo solas religiones votorum simplicium iuris pontificii urgebat (S. C. de Rel., Instr. 16 iul. 1906) [1]; in Codice ad Ordines et Societates vitae commu-

---

[1] *Per.*, II, 128 s.

nis extensa est (can. 510). Decreto « Sancitum est », 8 mart. 1922 [2] quinquennia fixa et communia omnibus religionibus praestituta sunt, pro viris secundum naturam religionis, pro mulieribus iuxta locum domus principis.

Decreto *Cum transactis*, 9 iul. 1947, obligatio multum extenditur et quidem sub duplici respectu: 1° ad relationem quinquennalem tenentur *omnes* religiones, Societates vitae communis sine votis publicis, Instituta saecularia *etiam iuris dioecesani* omnesque Superiores et Antistitae monasteriorum vel domorum sui iuris quae ad nullam confoederationem pertinent; 2° sub *cuiusque anni* exitu ab eisdem Superioribus parva relatio Romam mittenda erit.

Nuntiatur novus quaestionum elenchus qui tamen nondum apparuit.

Hoc decretum valet tantum pro Religionibus quae S. Congregationi de Religiosis subduntur. Saltem hucusque S. C. de Prop. Fide nihil quoad religiones et domos a se dependentes mutavit. Illae reguntur elencho quem S. C. de P. F. publici iuris fecit d. 29 iun. 1937 [3].

Quinquennia ab anno 1923 computari pergunt. Quare primo anno respondent iam anni 1948-1953 etc.; secundo anno 1949-1954 etc.; tertio anno 1950-1955, etc.; quarto anno 1951-1956, etc.; quinto anno 1952-1957, etc.

Ordinarii vel Superiores relationem mittere debent etiamsi annus designatus in primum biennium ab initio regimine inciderit. Quare v. g. si Moderator generalis alicuius Congregationis clericalis electus fuerit mense augusto anni 1949 vel 1950, relationem anno 1950 mittere debebit. Id quoque valet de Ordinariis locorum qui relationes a Superioribus vel Antistitis redactas ipsi Romam trasmittere debent. Quare ad hanc relationem non extenditur exemptio qua gaudent Ordinarii locorum vi can. 340, § 3, relate ad quinquennalem de statu dioecesis relationem.

Inspicienti accurate decretum statim apparet quibus-

---

[2] *AAS.*, XIV. 1922. 161. — *Per.*, XI, 19. — *NRTh.*, 1922, 434.
[3] S. Congr. de P. F., Sylloge, n. 225.

dam Ordinariis locorum haud parvum onus imponi. Accidit enim ut in quibusdam dioecesibus sint ultra quadraginta domus religiosae iuris dioecesani plene sui iuris et quaedam Congregationes iuris dioecesani in quinque, decem et plures dioeceses spargantur.

Ex alia parte si haec relatio a Superioribus recte conficiatur, visitationem quinquennalem, — quae, ut auditur, in nonnullis dioecesibus satis negligitur, — faciliorem reddet.

I. CREUSEN S. I.

21 - S. Congregatio de Semin. et Stud. Univ.

(*AAS* XL [15 iun. 1948] p. 260).

Declaratio

Cum, vi Constitutionis Apostolicae *Deus scientiarum Dominus*, d. d. 24 m. Maii a. D. 1931, ad academicum Licentiae gradum omnia exigantur quae ante eandem Constitutionem ad Lauream assequendam requirebantur, Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus, de speciali mandato Summi Pontificis, declarat atque decernit *Licentiam*, dictae Constitutionis servatis normis obtentam, eosdem sortiri iuridicos effectus ac *Lauream* ante eandem Constitutionem adeptam, nisi aliter Sedes Apostolica in casibus particularibus decreverit, firmis potissimum praescriptis can. 1598, § 2 C. I. C. et art. 21, 2° memoratae Constitutionis.

Ex audientia Ssmi d. 23 m. Maii a. D. 1948.

I. Card. PIZZARDO, *Praefectus*

L. ✠ S.

† I. Rossino, Archiep. tit. Thessalonicen., *Secretarius*.

Annotationes

Praesens S. C. de Sem. et Stud. Univ. declaratio (I) initium sumit a cuiusdam facti observatione id est omnia exigi ad *licentiam* obtinendam ad normam Const. Apost. « Deus scientiarum Dominus » quae ante eandem Constitutionem ad *lauream* assequendam requirebantur; (II) inde ratio deducitur ad declarandos et decernendos eosdem iuridicos effectus hodiernae licentiae atque antiquae laureae; (III) quidam tamen casus excipiuntur.

I. Veritas facti unde declaratio initium sumit statim apparet si comparantur ea quae a praefata Constitutione requiruntur ad gradus academicos consequendos cum iis, quae ad eosdem gradus academicos obtinendos antea requirebantur in multis (etsi non in omnibus) Facultatibus Ecclesiasticis ubique terrarum canonice erectis.

Sic v. g. in Facultate Theologica, studiis mediis et biennio philosophico ad normam C. I. C. peractis, quattuor annis absolvebatur curriculum ad lauream consequendam quae, examinibus superatis praesertim de universa theologia, conferebatur; nunc vero post idem quadriennium eademque examina nonnisi licentia confertur; nec intra quadriennium diminutus est disciplinarum numerus vel amplitudo cum contra novae disciplinae auxiliares et speciales additae sint cum exercitationibus practicis. Ad lauream vero consequendam unus saltem annus adhuc post licentiam requiritur in quo quaedam disciplinae praescribuntur aliaque experimenta ac praesertim doctoralis dissertatio. Pariter in Facultate Iuris Canonici, Institutionibus iuris canonici antea peractis, biennium requirebatur ad lauream, nunc vero post biennium iisdem disciplinis auditis aliisque auxiliaribus et specialibus additis, nonnisi licentia confertur et alius annus ad lauream requiritur simili modo ac in Facultate Theologica. In Facultate tandem Philosophica

non solum ad ingressum — ut par est — requiritur ut studia media sive litteraria sive scientifica expleta sint, sed in fine triennii, examinibus praesertim de universa philosophia superatis, antea laurea, nunc vero quibusdam disciplinis etiam additis licentia confertur et ad lauream alius requiritur annus sicut in aliis Facultatibus.

Itaque dubium non est, omnia, immo plura requiri ad licentiam consequendam ad normam Const. Apost. « Deus scientiarum Dominus » quam antea ad lauream exigebantur ideoque hodiernam licentiam eundem valorem scientificum (immo aliquantulum superiorem) habere ac praecedentem lauream.

II. Inde ratio deducitur ad declarandos et decernendos eosdem effectus iuridicos hodiernae licentiae qui antiquae laureae a iure tribuebantur.

Quae ratio intimius est perscrutanda. Etenim in Const. Apost. « Deus scientiarum Dominus » notae propriae licentiae et laureae bene distinguuntur quae ex ipsis studiorum curriculis ad licentiam et ad lauream apparent. In studiorum curriculo ad licentiam id quod primario intenditur est solida ac completa in re theologica vel canonica vel philosophica institutio generalis et praeterea quaedam tantum ad laborem scientificum initiatio, praesertim in cursibus specialibus exercitationibusque practicis; curriculum vero ad lauream primario intendit virum scientificum formare, tum investigationis scientificae specimen in cursibus praebendo et in exercitationibus practicis tum in privata quarundam quaestionum penitiori inquisitione tum praesertim in doctoralis dissertationis elaboratione, quae talis esse debet ut candidatum « *investigationibus scientificis aptum esse demonstret et ad scientiae profectum conducat quaeque saltem ex parte typis edatur* » (art. 46, 1), ideoque Laurea definitur « *gradus academicus ex quo cognoscitur eum qui hoc gradu donatur tale suae doctrinae et peritiae specimen dedisse, ut idoneus haberi possit, salvo praescrip-*

to art. 2i, ad docendum etiam in Universitate vel Facultate ». (art. 10, 1).

Nunc vero iuridici effectus qui ad normam iuris sive communis sive particularis laureae tribuuntur, spectant generatim officia vel beneficia ecclesiastica quae requirunt in candidato solidam in re theologica vel iuridica institutionem qualis in curriculo ad licentiam traditur et in examine praesertim de universa theologia et iure canonico comprobatur, at generatim non exigunt illam specialem aptitudinem ad laborem scientificum quae in Doctore exigitur; immo haud raro accidit ut qui bonam institutionem in re theologica et canonica habeant et veram ad illa officia aptitudinem, nonnisi mediocrem aptitudinem habeant ad laborem vere scientificum.

Non apparet igitur ratio cur ii qui scopum, ut ita dicam, mere « professionalem » habent, ad lauream consequendam destinentur; nam ipsis onus grave et inutile est specialia studia prosequi et dissertationem scientificam parare et pariter onus grave et inutile est professoribus tales candidatos in studiis dirigere, et tandem ipsi Facultati nocet horum alumnorum frequentia qui, aptitudine, tempore, « interesse » scientifico carentes et in omnibus « minimo » contenti, studiorum fastigium ad modum saburrae deprimunt, cum contra omnino curandum sit ut laureae ecclesiasticae, quae Sanctae Sedis nomine conferuntur, ubique gentium valorem habeant et magni fiant.

Non diffitemur aliquam difficultatem oriri in quibusdam praesertim nationibus si ecclesiastici doctorali laurea communiter careant qua viri laici facile insigniuntur; at neque est tacendum in iisdem nationibus haud raro deplorari quod civilis laurea nimis vilescat atque optari ut duplex instituatur gradus, alter vere scientificus, alter, ut ita dicam, professionalis sicut Ecclesia iam fecit Const. Apost. « Deus scientiarum Dominus » notas proprias duorum graduum academicorum indicando quorum alter, licentia, quasi professionalis est; alter, laurea, vere scientificus. Praete-

rea nihil obstat — immo laudabile est — quominus iuvenes sacerdotes licentia donati ideoque ad propria munera exercenda iam idonei, adhuc studiis operam navent et, si placet, ad doctoratum etiam contendant, dummodo aptitudinem ad laborem scientificum vere habeant, sincero in studiis proficiendi desiderio moveantur et tempore fruantur ad illa studia rite peragenda necessario, nec festinanter et importune omnia perficere nitantur ut doctoris lauream quocumque modo arripiant.

Hac de causa apparet quam opportune S. C. declaraverit et decreverit ad omnia officia et beneficia ecclesiastica sufficere licentiam ad normam Constitutionis Apostolicae « Deus scientiarum Dominus » obtentam; quae declaratio facta est *de speciali mandato Summi Pontificis* ita ut vim legis pro universa Ecclesia habeat.

III. Quidam tamen casus excipiuntur.

1) Imprimis ii excipiuntur qui in Universitate vel Facultate docere cupiunt et ad normam art. 21, 2 Const. Apost. « Deus scientiarum Dominus » *laurea congruenti*[1] praediti esse debent. Hoc evidens apparet ex ipsa definitione laureae quae est « gradus academicus ex quo cognoscitur eum qui hoc gradu donatur tale suae doctrinae et peritiae specimen dedisse ut *idoneus haberi possit*, salvo praescripto art. 21, *ad docendum etiam in Universitate vel Facultate* » (art. 10, 1 eiusdem Const. Apost.); ad docendum vero in scholis quae gradus academicos non conferunt idonei declarantur ii qui licentiae gradu donantur (art. 9 eiusdem Const. Apost.).

2) Pariter excipiuntur Auditores S. R. Rotae qui ad normam can. 1598, 2 laurea in utroque saltem iure praediti esse debent cum eorum munus sit in rebus difficilioribus

---

[1] De significatione verborum « *laurea congruenti* » cfr. Responsum S. C. de Sem. et Stud. Univ. (*A. A. S.* 25 oct. 1945, p. 272) et nostras Annotationes in « Periodica » 1946, I-II, pp. 180-184.

et controversis intime inquirere et definitivum iudicium ferre, quod scientificae investigationis usum supponit.

3) Praeterea excipiuntur casus particulares de quibus in posterum aliter decreverit Sedes Apostolica, quae ut patet ius retinet, prout sibi visum fuerit, lauream exigendi ad quaedam munera obeunda.

Ex hac declaratione S. C. laetos fructus sperare liceat; etenim si candidatorum numerus ad lauream doctoralem consequendam minuetur, melior tamen erit eorum selectio, intentior studiis applicatio ac valor ipsius laureae doctoralis augebitur, quod in sacrarum scientiarum progressum et in Universitatum et Facultatum ecclesiasticarum laudem cedet ita ut hae ad normam Const. Apost. « Deus scientiarum Dominus », *quemadmodum praecipua dignitate sua, ita etiam studiorum subtilitate scientiarumque splendore inter cetera omnia Athenaea imprimis eniteant* » (Prooem.).

P. Dezza S. I.

22 - S. Congregatio Rituum

(*AAS* XL [16 aug. 1948] p. 342).

Declaratio

In bina illa precatione qua sancta Mater Ecclesia in orationibus sollemnibus feriae sextae in Parasceve etiam pro populo hebraico Dei misericordiam implorat, haec verba occurrunt: « perfidi iudaei », et « iudaica perfidia ». Porro quaesitum est de vero sensu istius locutionis latinae, praesertim cum in variis translationibus, ad usum fidelium in linguas vulgares factis, illa verba expressa fuerint locutionibus quae auribus istius populi offensivae videantur.

Sacra haec Congregatio, de re interrogata, haec tantum declarare censuit: « Non improbari, in translationibus

in linguas vulgares, locutiones quarum sensus sit: « infidelitas, infideles in credendo ».

Romae, die 10 Iunii 1948.

✠ C. Card. Micara, Episc. Veliternus, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*.

23 - P. Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos

(*AAS* XL [10 iulii 1948] p. 301).

Responsa ad proposita dubia

Emi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I

De iure Superioris religiosi inspiciendi subditorum litteras

D. An religiosi exempti, in casibus in quibus Ordinario loci subiiciuntur, libere possint, ad normam can. 611, litteras nulli obnoxias inspectioni ad eundem Ordinarium mittere et ab eodem recipere.

R. Affirmative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 27 m. Novembri a. 1947.

II

De privilegio fori

D. I. Utrum, ad incurrendam excommunicationem vel suspensionem de quibus in can. 2341, sufficiat ut quis, ausu temerario, personam ex recensitis in eodem canone con-

veniat coram laico iudice; an requiratur ut persona conventa re a iudice citetur.

R. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

D. II. An interpretatio data in responso ad dubium primum valeat retrorsum.

R. Negative; et vim exserit a die publicationis in *Actorum Apostolicae Sedis Commentario Officiali.*

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 26 m. Aprili a. 1948.

III

De matrimonio per procuratorem

D. Utrum procuratorem, de quo in can. 1089 § 1, mandans ipse designare debeat; an eiusdem designationem alii committere valeat.

R. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 31 m. Maio a. 1948.

M. Card. MASSIMI, *Praeses.*

L. ✠ S.

A. Coussa, Ordinis Basilianorum Aleppen., *a Secretis.*

24 - P. Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos

(*ASS* XL [4 septembr. 1948] p. 386).

Responsa ad proposita dubia

Emi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I - *De forma celebrationis matrimonii*

D. An per praescriptum can. 1097 § 2, *in fine*, derogetur canoni 1099 § 1, n. 3.

R. Negative.

II - *De dispensatione ab impedimentis matrimonialibus*

D. Utrum can. 1052 ita intelligendus sit ut dispensatio impetrata pro certo et determinato impedimento valeat etiam pro alio impedimento eiusdem speciei in aequali vel inferiori gradu, quod in supplici libello bona vel mala fide reticitum fuerit; an potius ita *tantum* ut dispensatio ab impedimento expresso non vitietur per reticentiam alius impedimenti eiusdem speciei in aequali vel inferiori gradu.

R. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 8 m. Iulio a. 1948.

M. Card. MASSIMI, *Praeses.*

L. ✠ S.

A. Coussa, Ordinis Basilianorum Aleppen., *a Secretis.*

Annotationes

I. *De iure Superioris religiosi inspiciendi subditorum litteras.*

Primo aspectu videretur fere inutile dubium Pontificiae Commissioni Codicis propositum, cum expresse can. 611 statuat religiosos omnes, sive viros sive mulieres, libere posse litteras mittere, nulli obnoxias inspectioni, « *ad Ordinarium loci cui subiecti sint* », atque ab eodem litteras item nulli inspectioni obnoxias recipere, At si res penitius examinetur, liquido apparet aliquam dubitandi

rationem non deesse; nam citatus can. 611 loquitur in genere de religiosis, qui possunt esse exempti et non exempti, et minime determinat ambitum huiusmodi facultatis de libero epistolari commercio cum loci Ordinario habendo. Hinc est quod nonnulli Auctores censent religiosos exemptos libere posse in scriptis communicare quoad ea *tantum* in quibus ipsi ex iuris praescripto subsunt Ordinario loci; alii, contra, latius facultatem extendunt, eo ipso quod can. 611 nullatenus distinguat inter varia obiecta et negotia, et simpliciter dicat « ad Ordinarium loci cui subiecti sint ». Cfr. SCHÄFER, *De religiosis*, ed. alt. p. 568; BERUTTI, *De religiosis*, n. 124; MATTH. A CORONATA, *Institutiones*, I, n. 618; FANFANI, *De religiosis*, n. 321, etc.

Hinc ratio dubii propositi et congruae responsionis datae. Ex ista duo manifesto colliguntur: *a*) etiam religiosos exemptos litteras nulli inspectioni obnoxias ad loci Ordinarium mittere et ab eodem recipere posse; *b*) huiusmodi facultate religiosos exemptos gaudere non in omnibus et singulis casibus, sed tantum « *in casibus in quibus Ordinario loci* subiiciuntur ». Ex can. 615 regulares sunt ipso iure *communi* exempti a loci Ordinarii iurisdictione, « praeterquam in casibus a iure expressis », dum religiosi votorum simplicium exemptionis privilegio non gaudent, nisi *specialiter* eisdem fuerit concessum (can. 618, § 1). Tali privilegio fruuntur v. g. Passionistae et Redemptoristae.

Porro quinam sunt casus *a iure expressi* in quibus etiam religiosi exempti subiciuntur Ordinario loci? Isti casus sub multiplici respectu spectandi sunt. Habentur plures casus (15 vel 16 numerari solent), in quibus religiosi exempti praescripto Ordinario loci parere tenentur (can. 116, n. 6, 609, §3, 612, 804, § 3, 831, § 3, etc.). Plurimi sunt casus (a nonnullis 18, ab aliis 19 vel 20 recensentur), in quibus loci Ordinarius ius habet in ipsos quoque religiosos exemptos (cfr. can. 296, § 1, 454, § 5, 456, 471, §§ 2 et 3, 631, § 1, 874, etc.).

Demum duo sunt casus (can. 616, §§ 1 et 2), in quibus regularium exemptio iuridice suspenditur.

Nomine *Ordinarii loci* intelliguntur, pro suo quisque territorio, Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus *nullius* eorumque Vicarius generalis, Administrator Apostolicus, Vicarius capitularis, Vicarius et Praefectus Apostolicus iique qui praedictis deficientibus interim in regimine succedunt (can. 198, § 2). Si pro monialibus et sororibus sit constitutus specialis Vicarius seu Delegatus in aliqua dioecesi, religiosae etiam cum illo libere possunt in scriptis communicare.

Sedulo notandum, confessarium et moderatorem spiritus inter eos non computari cum quibus religiosi liberum commercium epistolarum habere possunt; quare prudentiae et caritati Superiorum remittitur ut haec facultas in aliquo casu particulari et extraordinario concedatur, si id expedire in Domino videatur.

In praxi haud levis difficultas interdum haberi potest. Quomodo dignoscitur utrum epistolae, quae mittuntur vel recipiuntur, revera agant de rebus in quibus religiosi subsunt Ordinario loci necne, nisi ipsae inspiciantur? Attendendum testimonium personae cuius interest atque peculiares circumstantiae spectandae. Quae quaestio tamen huc non spectat.

II. *De privilegio fori.*

In can. 2341 plures statuuntur poenae contra violantes privilegium fori, scil. 1° excommunicatio l. s. S. Sedi speciali modo reservata, si trahitur ad iudicem laicum Cardinalis S. R. E. vel Legatus Sedis Apostolicae, vel Officialis Maior Romanae Curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarius proprius; 2° excommunicatio latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatae, si trahitur, ut supra, alius Episcopus (nempe non proprius) etiam mere titularis, aut Abbas vel Praelatus

nullius, vel aliquis ex supremis religionum iuris pontificii Superioribus; 3° suspensio ab officio reservata Ordinario incurritur ipso facto a clerico, qui, non obtenta ab Ordinario loci licentia, aliam personam fori privilegio fruentem, sive clericum sive religiosum, novitiis non exclusis, ad iudicem laicum trahit; 4° laicus in isto postremo casu non incurrit ipso facto aliquam poenam determinatam, sed pro gravitate culpae a proprio Ordinario puniendus erit.

Duo sunt dubia de hac re proposita, alterum cum altero intime connexum. Ex responsione ad *primum* dubium data liquet, ad incurrendas poenas de quibus in praedicto can. 2341 sufficere ut quis, temerario ausu, personam privilegio fori fruentem *conveniat*, quin requiratur ut persona conventa *revera a iudice citetur*. Igitur delictum, in casu, censetur iam consummatum ex solo facto institutae actionis coram iudice laico, seu ex simplici exhibitione libelli quo quis ministerium iudicis laici postulat contra clericum vel religiosum fori privilegio praeditum. Consulto dicimus: *censetur delictum iam consummatum*; quia ex ipsa rei natura, id est ex iuris praescripto, censura punitur tantum delictum externum, grave, *consummatum*, cum contumacia coniunctum (can. 2242, § 1). Eo ipso sane quod quis, contra ecclesiasticas sanctiones, audet clericum vel religiosum in iudicium vocare, manifestam iniuriam committit et canonicas leges spernit. Hinc ratio et natura delicti, *perspecta responsione de qua nunc agimus*. Id probe attendendum; nam communis aut fere communis sententia Commentatorum Codicis affirmabat poenas in can. 2341 statutas non incurri, nisi persona privilegio gaudens de facto in iudicium vocaretur saltem per citationem. Quod ipsa vox « *trahere* » sensu obvio et genuino significare videtur.

Unum vel alterum Auctorem ex multis allegare sufficiet. VERMEERSCH-CREUSEN ait: « Delictum exsistit statim ac persona privilegio fruens *a iudice convenitur*, ne-

que pendet a sententia quae in eam fertur » (*Epitome*, III, n. 540, ed. V).

Cerato docet: « Delictum erit *consummatum*, et censura idcirco contracta, etiamsi iudex laicus sententiam tulerit personae ecclesiasticae faventem; immo etiamsi iudex laicus personam ecclesiasticam convocatam damnaverit in contumacia. *Sed utique oportet, quod tractio seu convocatio legalis facta fuerit* » (*Censurae vigentes*, pag. 117, ed. II).

Salucci affirmat: « E' infine logico che la censura s'incorre dall'attore *ipso facto* che vien compiuta la *citazione* giudiziale a norma del diritto » (*Il diritto penale secondo il Codice di diritto canonico*, vol. II, Subiaco 1930, pag. 150).

Matthaeus a Coronata dicit: « Ad delictum requiritur ut *de facto clericus apud iudicem laicum conveniatur*, nec sufficit ut quis ei minetur hanc conventionem, nec sufficere item videtur attentatio ad illum conveniendum quae habetur in citatione ... Sufficit autem ad delictum ut semel seu una vice *ibi se praesentare cogatur*, licet deinde absolvatur ab ipso iudicio et statim dimittatur » (*Institutiones iuris canonici*, vol. IV, n. 1972, ed. III).

Aertnys-Damen asserit: « Ut censura incurratur, delictum perfectum et consummatum esse debet, ideoque non contrahitur cum persona ecclesiastica quacumque de causa coram iudice reapse non compareat » (*Theol. moralis*, vol. II, n. 1050, ed. 12a).

Id ipsum tenent Pistocchi (*I canoni penali del Codice ecclesiastico*, Torina, 1925, pag. 129), Cipollini (*De censuris latae sententiae iuxta Codicem iuris canonici*, Taurini, 1925, pag. 118), Cappello (*Tractatus canonico-moralis de censuris*, n. 265, ed. 3a), Ayrinhac (*Penal legislation*, n. 278, New York, 1925), Augustin (*A Commentary on the new Code*, vol. VIII, n. 364, London, 1922), etc.

Nec silentio praetereundum, etiam in iure antiquo, ex quo ius Codicis ortum ducit, poenas contra violantes

privilegium fori nonnisi post citationem rite factam seu comparitionem de facto habitam coram tribunali laico incurri. Demum animadvertendum, agi in casu de lege poenali quae natura sua strictam postulat interpretationem.

Quae cum ita sint, logice ac necessario concludendum, interpretationem a Pontificia Commissione die 26 aprilis 1948 datam ad primum dubium, de quo supra, esse *extensivam* ideoque non valere retrorsum et esse promulgandam ad normam can. 17, § 2.

Id expresse atque perspicue confirmatur ex responsione ad *secundum* dubium. Nam interrogata Pontificia Commissio « *an interpretatio data in responso* ad dubium primum valeat retrorsum »; respondit eadem die 26 aprilis 1948: « *Negative*; et vim exserit a die publicationis in *Actorum* Apostolicae Sedis Commentario Officiali ».

Quae authentica interpretatio, per modum legis exhibita, eandem vim habet ac lex ipsa (can. 17, § 2). Vacationi in casu, de qua in can. 9, locus non est, quia non agitur de *nova lege proprie dicta*, sed tantum de interpretatione. Ceterum ad tramitem eiusdem can. 9 aut brevior aut longior aut forte nulla vacatio aliquando statui potest.

III. *De forma celebrationis matrimonii.*

Interrogata Pontificia Commissio Codicis « an per praescriptum can. 1097, § 2, *in fine*, derogetur canoni 1099, § 1, n. 3 »; die 8 iulii 1948 respondit: « Negative ».

Ratio istius responsi manifesta est profecto. Nam citati canones agunt de re plane diversa. Sane can. 1097, § 2 agit de *licita* adsistentia matrimoniis praestanda; can. 1099, § 1, contra, de *valida* adsistentia, seu de iis qui tenentur ad formam canonicam servandam in matrimonii celebratione.

Can. 1097, § 2 duplicem statuit normam. Vi prioris, decernitur ut matrimonium regulariter « coram sponsae parocho celebretur, nisi iusta causa excuset ». Altera

norma respicit matrimonia catholicorum mixti ritus, quae celebranda dicuntur, « nisi aliud particulari iure cautum sit, in ritu viri et coram eiusdem parocho ». Ritus refertur ad formam liturgicam, potius quam ad formam substantialem seu iuridicam. Dicitur attendendus ritus *viri*, non autem mulieris, et matrimonium celebrandum coram parocho viri, non vero mulieris, aliter quam, pro regula, in ceteris casibus. Huiusmodi matrimonia *mixti ritus* ea sunt quae celebrantur inter orientales et latinos; et clausula addita: « nisi aliud particulari iure cautum sit » respicit Ruthenos ex decreto S. C. de Propaganda Fide diei 6 oct. 1863.

Cum verba legis seu praedictorum canonum sint clara et nullam obiectivam difficultatem inducere videantur, censemus interpretationem valere retrorsum ad normam can. 17, § 2.

IV. *De dispensatione ab impedimentis matrimonialibus.*

Responsio die 8 iulii 1948 data, ex qua liquet dispensationem impetratam pro certo ac determinato impedimento valere *etiam* pro alio impedimento eiusdem speciei in aequali vel inferiori gradu, quod bona vel mala fide reticitum fuerit, habet profecto peculiare momentum.

Can. 1052 statuit: « Dispensatio ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis, concessa in aliquo impedimenti gradu, valet ... licet reticitum fuerit aliud impedimentum eiusdem speciei in aequali vel inferiore gradu ». Ex istis verbis attente consideratis evidenter patet veterem disciplinam mutatam fuisse circa necessitatem significandi omnia et singula impedimenta in supplici dispensationis libello. De qua necessitate P. Wernz ait: « Quod si reticeatur multiplicitas v. g. consanguinitatis, *dispensatio est irrita* » (*Jus Decretalium*, vol. IV. *Ius matrimoniale*, n. 636, nota 178).

De relaxatione impedimenti reticiti nihil dicitur in citato can. 1052. Hinc est quod longe communior sententia Commentatorum Codicis eam explicite aut implicite excludunt vel quatenus de ea nullam mentionem faciunt, licet agatur de re tanti ponderis, ut GASPARRI (*De matrimonio*, n. 341, nota 1, ed. post Codicem), WERNZ-VIDAL (*Ius matrimoniale*, n. 440), CHELODI (*Ius matrimoniale*, n. 47, ed 3a), GARCIA F. BAYON (*Tractatus canonico-moralis de sacramento matrimonii*, vol. I, n. 696), etc.; vel quatenus expresse contrarium affirmant, ut DE SMET, qui docet: « Observa autem impedimentum omissum non relaxari, sed eius omissionem non impedire quominus impedimentum aut impedimenta expressa dispensatione removeantur » (*De sponsalibus et matrimonio*, pag. 704, nota 1, ed. 4a).

Animadvertendum quidem est, subreptionem vel obreptionem interdum valori dispensationis non obesse (cfr. can. 40. 42. 45. 47. 1054); at inauditum videtur quod impedimentum auferatur, quamvis *reticitum* fuerit et quidem reticitum *mala fide*. Attentis verbis can. 1052 et communiore doctrina Commentatorum Codicis considerata, res manifeste dubia dicenda seu *dubium iuris* in casu asserendum; ideoque interpretatio, de qua supra, si extensiva non dicitur, certe habenda est ut legem dubiam explicans, ac propterea indiget promulgatione et retrorsum non valet ad normam can. 15 et 17, § 2.

F. M. CAPPELLO S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

25 - SS. D. Pius Pp. XII

A — Litterae Apostolicae *Mirum in modum*, 27 novembr. 1946, quibus ad titulum ac dignitatem Basilicae Minoris evehitur templum B. Mariae V. a Sacratissimo Rosario in urbe « Talpa », dioecesis Tepicensis, exstans (*AAS* XL [4 sept. 1948] p. 362).

B — Litterae Apostolicae *Perennem esse*, 6 decembr. 1946, quibus S. Nicolaus Barensis, Ep. et Conf., civitatis ac dioecesis Rioiensis, in Republica Argentina, primus ac praecipuus Patronus caelestis constituitur (*AAS* XL [10 iul. 1948] p. 290).

C — Litterae Apostolicae *Suavissima inter*, 2 febr. 1947, quibus B. Maria V. « a Salute » civitatis « Monfalcone », in Goritiensi atque Gradiscana Archidioecesi, Patrona Caelestis declaratur (*AAS* XL [4 sept. 1948] p. 364).

D — Litterae Apostolicae *Docendi ius officium*, 4 maii 1947, quibus Venerabilis Dei Famula Maria Teresia a Iesu, in saeculo Alexia Le Clerc, Canonissarum Regularium S. Augustini Congregationis Nostrae Dominae Fundatrix, Beata renuntiatur (*AAS* XL [15 iun. 1948] p. 228).

E — Litterae Apostolicae *Paciferum praeconem*, 2 iun. 1947, quibus Sanctus Nicolaus de Flüe, Confessor et Anachoreta, universae Helvetiae primus ac praecipuus caelestis Patronus proclamatur (*AAS* XL [15 iun. 1948] p. 235).

F — Litterae Decretales 22 iunii 1947, quibus Beato Cafasso Sanctorum honores decernuntur (*AAS* XL [15 iunii 1948] p. 217).

G — Constitutio Apostolica *Thebana Coptorum* (*Lycopolitana Coptorum*), 10 aug. 1947, qua nova Eparchia Lycopolitana Coptorum in Aegypto erigitur, ex territorio ab Eparchia Thebana Coptorum seiuncto (*AAS* XL [10 maii 1948] p. 172).

H — Litterae Apostolicae *Quod de seraphico Bonaventura*, 30 aug. 1947, quibus Ecclesia, Deo in honorem Sancti Vincentii Ferrerii et Sanctae Catharinae de Ricciis, in civitate ac dioecesi Pratensi dicata, Basilicis Minoribus accensetur (*AAS* XL [15 iun. 1948] p. 237).

I — Litterae Apostolicae *Summo in Parasio*, 22 sept. 1947, quibus Ecclesia paroecialis et collegiata in urbe « Porto Maurizio » in Albinganensi Dioecesi Basilicae Minoris titulo et privilegiis cohonestatur (*AAS* XL [4 sept. 1948] p. 365).

K — Litterae Apostolicae *Vere non est hic aliud*, 7 oct. 1947, quibus Ecclesia Deo in honorem Sancti Syri, in civitate « Sanremo », Ventimiliensis dioecesis dicata, honoribus Basilicae Minoris insignitur (*AAS* XL [15 iun. 1948] p. 239).

L — Litterae Apostolicae *Divini Redemptoris*, 9 nov. 1947, quibus Venerabilis Dei Famula Ioanna a Cruce, in saeculo Ioanna Delanoue, Virgo, Instituti Sanctae Annae a Providentia Fundatrix, Beata renuntiatur (*AAS* XL [16 aug. 1948] p. 314).

M — Litterae Apostolicae *Miranda sane*, 21 dec. 1947, quibus Templum Cathedrale Sarzanensis dioecesis, B. Mariae in Caelum Assumptae dicatum, privilegiis honoribusque Basilicae Minoris ditatur (*AAS* XL [4 sept. 1948] p. 367).

N. — Constitutio Apostolica *De Iringa* (Iringaënsis), 8 ian. 1948, qua Praefectura Apostolica de Iringa, in Africa Orientali Britannica, ad Vicariatus Apostolici gradum evehitur (*AAS* XL [16 aug. 1948] p. 306).

O — Constitutio Apostolica *De Basankusu* (Basankusuensis), 8 ian. 1948, qua Praefectura Apostolica de Basankusu in Congo Belgico ad Vicariatus Apostoli gradum, Basankusuensis nomine, evehitur (*AAS* XL [16 Aug. 1948] p. 308).

P — Constitutio Apostolica *Lunensis seu Spediensis*, 18 ian. 1948, qua Cathedrale Capitulum in dioecesi Lunensi seu Spediensi erigitur (*AAS* XL [10 maii 1948] p. 175).

Q — Epistula *Flagranti semper*, 18 ian. 1948, ad E.mos PP. DD. Augustum tit. S. Mariae de Pace S. R. E. Presbyterum Cardinalem Hlond, Archiepiscopum Gnesnensem et Varsaviensem, Adamum Stephanum tit. S. Mariae Novae S. R. E. Presbyterum Cardinalem Sapieha, Archiepiscopum Cracoviensem, ceterosque Poloniae Archiepiscopos, Episcopos locorumque Ordinarios, officiosis litteris respondet ab Episcopali Coetu Czestochoviensi datis (*AAS* XL [16 aug. 1948] p. 324).

R — Epistula *During recent years*, 30 ian. 1948, ad Ex.mos PP. DD. Indiarum Archiepiscopos, Episcopos ceterosque locorum Ordinarios, de Actione Catholica in Indiis promovenda (*AAS* XL [16 aug. 1948] p. 328).

S — Constitutio Apostolica *Massiliensis*, 31 ian. 1948, qua Cathedralis Ecclesia Massiliensis a metropolitico iure Aquensis Ecclesiae eximitur, atque ad Archiepiscopalis Ecclesiae gradum et dignitatem evehitur (*AAS* XL [16 aug. 1948] p. 309).

T — Constitutio Apostolica *Camberrensis* (Camberrensis et Gulburnensis), 5 febr. 1948, qua Dioecesis Gulburnensis sedes in « Canberra » urbem transfertur; dioecesis ipsa, posthac Camberrensis et Gulburnensis appellanda, a metropolitico Archiepiscopi Sydneyensis iure eximitur, ad Archiepiscopalis Ecclesiae gradum et dignitatem evehitur, atque Sedi Apostolicae immediate subiicitur (*AAS* XL [4 sept. 1948] p. 353).

U — Constitutio Apostolica *Insularum de Cook,* 12 febr. 1948, qua Praefectura Apostolica Insularum de Cook ad Vicariatus Apostolici gradum evehitur (*AAS* XL [4 septembris 1948] p. 355).

V — Constitutio Apostolica *De Onitsha Owerri* (Onitshaënsis-Owerriensis), 12 februarii 1948, qua Vicariatus Apostolici de Onitsha-Owerri in duas dividitur partes, quarum una Vicariatus Apostolicus Onitshaënsis efformabitur, altera Vicariatus Apostolicus Owerriensis, cui adnectitur parvum territorium a Vicariatu Calabarensi distractum (*AAS* XL [4 septembris 1948] p. 357).

X — Constitutio Apostolica *De Ipamu* (Ipamuensis), 12 februarii 1948, qua Praefectura Apostolica de Ipamu ad Vicariatus Apostolici gradum et dignitatem evehitur sub « Ipamuensis » nomine (*AAS* XL [4 septembris 1948] p. 359).

Y — Constitutio Apostolica *De Kroonstad* (Kroonstadensis et Bethlehemensis), 12 februarii 1948, qua e Vicariatu Apostolico de Kroonstad pars seiungitur, quae in novum erigitur Vicariatum sub nomine Bethlehemensis, Vicariatus de Kroonstad in posterum « Kroonstadensis » appellandus decernitur (*AAS* XL [4 septembris 1948] p. 360).

Z — Constitutio Apostolica *Quitensis* (Ambatensis), 12 februarii 1948, qua ex Quitensis Archidioecesis territorio pars dismembratur et nova exinde Ambatensis Dioecesis erigitur (*AAS* XL [16 augusti 1948] p. 311).

AA — Constitutio Apostolica *Omnium cuiusvis ritus christifidelium,* 3 martii 1948, qua unicus hucusque Ruthenorum Exarchatus Apostolicus in ditione Canadensi tripartito dividitur, et exinde Exarchatus Centralis, Orientalis et Occidentalis pro Ruthenis constituuntur (*AAS* XL [10 iulii 1948] p. 287).

BB — Epistula *Sedecim ante saeculis,* 25 martii 1948, ad ecclesiasticam hierarchiam populumque Alexandrini Coptorum Patriarchatus, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes, sexto decimo exeunte saeculo ab obitu S. Pachomii, coenobiticae vitae conditoris (*AAS* XL [15 iunii 1948] p. 241).

CC — Litterae Apostolicae *Admirabilis Dei,* 4 aprilis 1948,

quibus Venerabilis Dei Famulus Frater Benildus, in saeculo Petrus Romançon, Instituti Fratrum Scholarum sodalis, Beatus renuntiatur (*AAS* XL [16 augusti 1948] p. 319).

DD — Epistula *With profound pleasure*, 6 aprilis 1948, ad Exc.mum P. D. Danielem Mannix, Archiepiscopum Melburnensem, saeculo vertente ab Ecclesia Melburnensis constituta (*AAS* XL [10 maii 1948]p. 177).

EE — Epistula *Ex vetere Benedictino caudice*, 11 aprilis 1948, ad Rev.mum D. Romulaldum Mariam Zilianti, Congregationis S. Mariae Montis Oliveti, Ordinis S. Benedicti, Abbatem Generalem, sexto expleto saeculo a pientissimo obitu B. Bernardi Ptolomaei, eiusdem Congregationis conditoris (*AAS* XL [15 iunii 1948] p. 243).

FF — Epistula Encyclica *Auspicia quaedam*, 1 maii 1948, de publicis supplicationibus per mensem Maium habendis (*AAS* XL [10 maii 1948] p. 169).

GG — Allocutio ad novum Brasiliae Legatum, 3 maii 1948, (*AAS* XL [10 maii 1948] p. 180).

HH — Epistula *Ut flagrantis caritatis*, 8 maii 1948, ad Rev.mum P. Carolum Mansfeld, Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Praefectum Generalem, ob conventum ex universo Ordine indictum (*AAS* XL [15 iunii 1948] p. 245).

II — Epistula *Triennio quidem ante*, 10 maii 1948, ad E.mum P D. Ioannem Baptistam tit. Sanctae Mariae in Transpontina S. R. E. Presbyterum Cardinalem Nasalli Rocca de Corneliano, quinque abhinc lustra ad Purpuratorum Patrum ordinem adlectum (*AAS* XL [15 iunii 1948] p. 246).

KK — Nuntius Radiophonicus, 30 maii 1948, E.mo P. D. Iosepho S. R. E. Presb. Cardinali Mindszenty, Strigoniensi archiepiscopo, ceterisque Hungariae Antistitibus, sacerdotibus, religiosis atque christifidelibus datus (*AAS* XL [15 iunii 1948] p. 254).

LL — Exhortatio ad clerum indigenum, 28 iunii 1948 (*AAS* XL [4 septembris 1948] p. 374).

MM — Allocutio, 29 iunii 1948, ad adscriptos Societatibus Christianis Operariorum Italicorum, ex Italiae Dioecesibus Romae coadunatos (*AAS* XL [16 augusti 1948] p. 331).

NN — Epistula *Proximo Augusto mense*, 12 iulii 1948, ad Rev.mum P. Vincentium Tomek, Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Praepositum Generalem, tertio exeunte saeculo ab obitu Sancti Iosephi Calasanctii, eiusdem Ordinis Fundatoris, secundo vero ab ipsius sollemni Beatificatione (*AAS* XL [4 septembris 1948] p. 369).

OO — Allocutio ad Legatum Reipublicae Aequatorianae, 13 iulii 1948 (*AAS* XL [16 augusti 1948] p. 338).

PP — Epistula *Coloniae Agrippinae,* 25 iulii 1948, ad Em.mum P. D. Clementem Episcopum Veliternum, S. R. E. Cardinalem Micara, Congregationis Sacrorum Rituum Praefectum, quem Legatum mittit ad sacra sollemnia Coloniae Agrippinae celebranda ob septimum expletum saeculum a Cathedralis ipsius Templo condito nuperque feliciter restituto (*AAS* XL [4 septembris 1948] p. 372).

26 - Sacra Congregatio Consistorialis

1 - *Romanae seu Urbis - Ostiensis.* - Decretum de finium immutatione, 22 maii 1948 (*AAS* XL [16 augusti 1948] p. 341).

27 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide

2 - *Transvallensis* (*Joannesburgensis*). - Decretum, 9 aprilis 1948, quo Vicariatus Apostolicus Transvallensis deinceps « Joannesburgensis » appellabitur (*AAS* XL [10 maii 1948] p. 183).

3 - *Parakuen. - de Dahomey* (*Ouidahensis*). - Decretum, 13 maii 1948, de Vicariatuum finium immutatione (*AAS* XL [10 iulii 1948] p. 297).

28 - Sacra Congregatio Rituum

1 - *Matriten.* - Decretum 1 februarii 1948, introductionis causae pro beatificatione Servae Dei Antoniae Mariae a Misericordia, Fundatricis Instituti Oblatarum a Ss.mo Redemptore (*AAS* XL [4 septembris 1948] p. 381).

2 - *Brixien.* - Decretum, 23 maii 1948, de miraculis pro canonizatione B. Vincentiae Gerosa, Virginis, alterius Fundatricis Sororum a Caritate (*AAS* XL [4 septembris 1948] p. 384).

29 - Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus

Decretum, 1 maii 1948, quo Collegium Lituanum a Sancto Casimiro in Urbe erigitur (*AAS* XL [10 iulii 1948] p. 298).

30 - S. Romana Rota

Tabulae Synopticae Causarum

Anno 1947

I

Causae iudicatae

A. - De matrimonio

Causae	Iud.	Aff.	Neg.
Nullitatis			
Ob amentiam viri	1	1	
Ob exclusum bonum fidei et bonum prolis	2	2	
» » » prolis	16	12	4
» » » prolis et bonum sacramenti	1	1	
» » » sacramenti	2	1	1
» » » sacramenti et bonum prolis	1		1
Ob defectum formae seu clandestinitatem	2	1	1
Ob condicionem appositam	2		2
Ob exclusam indissolubilitatem	2	2	
Ob defectum consensus	1	1	
Ob simulationem consensus	4		4
Ob. simulationem totalem consensus aut saltem ob exclusum bonum fidei	1	1	
Ob simulationem consensus, exclusum bonum sacramenti et prolis	1	1	
Ob impedimentum consanguinitatis	1	1	
Ob impotentiam mulieris	4		4
(Dispensatio super rato)	(4)	(2)	(2)
Ob impotentiam viri	9	1	8
(Dispensatio super rato)	(6)	(5)	(1)
Ob vim et metum	26	17	9
(Dispensatio super rato)	(1)	(1)	
Ob vim et metum et simulationem consensus	1	1	
» » » » et clandestinitatem	1	1	
	78	44	34

N. B. - Ex 78 causis, sub I allegatis, 19 causae peractae sunt cum gratuito patrocinio.

B. - De aliis argumentis

Una: iurium.

Causae quae eodem anno 1947 transactae fuerunt, vel quae absque definitiva sententia, ex peculiaribus circumstantiis, finem habuerunt; quibus adduntur decreta quoad recursus contra libellorum reiectionem.

A. - De matrimonio

NULLITATIS	
Ob amentiam mulieris	1
Ob exclusa bona matrimonii	1
Ob exclusum bonum prolis	5
Ob condicionem appositam	5
Ob condicionem appositam, errorem, impotentiam mulieris	1
Ob defectum (simulationem) consensus	5
Ob impedimentum raptus et simulationem consensus .	1
Ob impotentiam mulieris	1
» » viri	3
Ob intentionem contra prolem	1
Ob vim et metum	17
» » » » et defectum consensus	1
Ob vim et metum, exclusum bonum prolis, clandestinitatem	1
Separationis	1
Sponsalium, Incidentis	1
Incidentis	1
Reiectio libelli	2
	48

B. - De variis argumentis

Causae 9: 1 damnorum, 1 diffamationis, reiectionis libelli, 1 periurii, 5 de iuribus, 1 pensionis alimentariae.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

CAROLUS BOZZOLA S. I., *De Deo uno et trino. De Deo creante et elevante* (Cursus theologicus a professoribus facultatum Cheriensis et Kurulitanae exaratus, vol. II), Neapoli, M. D'Auria, 1948, 16×24 cm., 308 pag.

GIUSEPPE BUSATO, *Il libro del lavoratore*, Vicenza, Societá Anonima Tipografica Editrice, 1948, 6,5×12 cm., 128 pag.
Sei un uomo. - Sei un cristiano. - Sei un lavoratore.

HENRY CARPAY S. I., *L'Action catholique. Essai de justification historique et de précision doctrinale*, Tournai, Casterman, 1948, 12,5×19,5 cm. 72 pag.

Essai de justification historique. Les étapes de l'apostolat de l'Eglise: le dégagement du temporel païen; le temporel au service du spirituel; l'avènement du temporel et du spirituel à la souveraineté. — Précision doctrinale: l'avènement du laïcat; les caractères de l'Action catholique, laïque et profane, spirituelle, universelle, hiérarchique, sociale.

L. MONDEN S. I., *Het Misoffer als mysterie. Een studie over de heilige Mis als sacramenteel offer in het licht van de mysterieleer van Dom Odo Casel* (Bijdragen-Bibliotheek uitgegeven door de philosophische en theologische faculteiten der Noord- en Zuid-Nederlandsc Jezuieten, Deel II), Roermond-Maaseik, Romen, 1948, 16×24 cm., XI 192 pag.

Uiteenzetting van Casels mysterieleer en van haar toepassing op het heilig Misoffer. —Critisch onderzoek van de voornaamste stellingen der mysterieleer in verband met haar toepassing op het heilig Misoffer. — Bibliographie. — Sommaire (lingua gallica).

LAURENTIUS R. SOTILLO S. I., *Compendium iuris publici ecclesiastici* (Bibliotheca Comillensis), Santander, Administración de « Sal Terrae », 1947, 15×22 cm., 319 pag.

De iure publico in genere: De iure publico interno. De iure publico externo seu de iure intersociali publico et privato. — De iure publico ecclesiastico interno et externo.

II - Ex periodicis

ACTA ACADEMIAE VELEHRADENSIS, XIX, fasc. 1-2 — NICOLAUS RUSSNAK, *Sacra Orientalium et Occidentalium unio et media eiusdem*, p. 26-37.

BULLETIN DE LA SOCIÉTÉ DES MISSIONS-ÉTRANGÈRES DE PARIS, Ser. 2, N. 2 — GEORGES DEBEDAN, *Echange de vues: Travail apostolique en équipe*, p. 75-82.

CHRISTUS, XIII, num. 152 (iul.) — PEDRO SERRA, *Los documentos de los Papas sobre los Ejercicios Espirituales de San Ignacio*, p. 595-599.

EPHEMERIDES LITURGICAE, LXII, fasc. III — X., *La « versio Piana » del Salterio e la liturgia*, p. 240-248.

EPHEMERIDES THEOLOGICAE LOVANIENSES, XXIV, fasc. 1-2 — G. PHILIPS, *La grâce des justes dans l'Ancien Testament*, p. 23-58. — J. DANIÉLOU, *Les divers sens de l'Ecriture dans la tradition chrétienne primitive*, p. 119-126.

ESTUDIOS FRANCISCANOS, Ser. novae v. XLIX, n. 272 (maio) — TEOFILO DE ORBISO, *El « Reino de Dios » en los salmos*, p. 199-209.

NEDERLANDSE KATHOLIEKE STEMMEN, XLIV fasc. 8-9 (aug.-sept.) — L. BUIJS, *Kunnen we spreken van lekenspiritualiteit?* p. 210-220. — H. M. VAN SPANJE, *Ontvankelijkheid voor geestelijk leven in de tegenwoordige lekenwereld*, p. 220-225. — H. BOELAARS, *Enige grondlijnen van een lekenascese*, p. 225-236. — A. W. HOEGEN, *Sipirualiteit van gehuwden*, p. 236-244.

RAZON Y FE, XLVIII t. 137, fasc. 5 (maio) — F. DEL VALLE, *Nacionalización de empresas*, p. 392-407.

RIVISTA DEL CLERO ITALIANO, XXIX, fasc. 8 (aug.) — LUIGI OLDANI, *Caso di morale: Il problema della prole*, p. 320-

335. — Fasc. 9 (sept.) — Francesco Olgiati, *I problemi dell'ora: La concezione cristiana delle classi*, p. 341-348. — Fasc. 10 (oct.) — Agostino Gemelli, *A proposito di vocazioni*, pag. 400-404.

SAL TERRAE, XXXVI, Num. 8-9 (aug.-sept.) — Eduardo F. Regatillo, *Jerarquismo*, p. 520-534. — Num. 10 (oct.) — *Continuatio eiusdem articuli*, p. 605-617.

SAPIENZA, I, Num. 1 — G M. Ghini, *S. Tommaso genio morale*, p. 23-34.

DISSERTATIONES ET QUAESITA VARIA

CONSENSUS VITIATUS IN MATRIMONIIS "AD EXPERIMENTUM"

1. Ante viginti fere annos Pius XI in Litteris Encyclicis « Casti connubii » egit contra quosdam recentiores, qui, falsis innixi principiis de matrimonii origine et natura, eo devenerunt, ut nova effingerent coniunctionum genera, ad praesentes hominum ac temporum rationes accommodata, quae totidem novas matrimonii species esse voluerunt: aliud « *ad tempus* », aliud « *ad experimentum* », aliud « *amicale* » quod plenam matrimonii licentiam omniaque iura sibi vindicavit, dempto tamen indissolubili vinculo et prole exclusa, nisi partes suam vitae communionem et consuetudinem in pleni iuris matrimonium deinde converterint, (AAS 22 (1930) 558).

Ex his pseudospeciebus matrimonii matrimonium « *ad experimentum* » hodie in dies frequentius occurrit ita ut nonnulli censeant: fere omnia matrimonia, in quibus positivo actu voluntatis indissolubilitas excluditur, subsumi posse et debere sub specie matrimonii « *ad experimentum* ».

2. « *Matrimonium ad experimentum* » neque est terminus technicus iuridicus, neque ex communi sensu et usu habet significationem accurate circumscriptam. Nihilominus sensus obvius ita exhiberi potest: partes contrahentes (aut saltem alterutra pars) inire et inchoare volunt *verum matrimonium* (non « concubinatum »), sed, an perpetuo in inita unione permansuri sint, dependere faciunt ab experimentali exploratione, num, attentis utriusque in-

dole et charactere necnon circumstantiis externis, felix et concors cohabitatio per totam vitam sperari queat. « *Matrimonium ad experimentum* » neque conceptu neque semper re coincidit cum « *matrimonio ad tempus* », nam matrimonium « ad experimentum » in effectu et ex intentione contrahentium perdurare potest per integram vitam; non ita matrimonium « ad tempus ».

3. In genere contractus « ad experimentum » vel « sub experimento » inter contractus, qui in vita cotidiana fieri solent, est sat frequens, tum quoad obiecta materialia (e. gr. emptio horologii « ad experimentum »), tum quoad actus personales (ita e. gr. in contractu locationis-conductionis operae vel in collatione et assumptione alicuius officii vel muneris).

4. Si contractus « ad experimentum » est bilateralis onerosus, utraque pars assumit sensu vero et proprio obligationem praestandi alteri parti rem vel actionem de qua praestanda cum comparte contraxit; sed num persistat in contractu et in obiecto eius praestando, dependet a positivo vel negativo eventu experimenti faciendi. Differt ergo contractus « ad experimentum » tum a contractu praevio tum ab experimento praevio. Possunt duo inter se convenire de aliquo alio contractu *postea* ineundo (*contractus praevius* vel *praeparatorius*); possunt etiam celebrationem (futuri) contractus dependentem facere ab aliquo experimento sive de obiecto contractus et de subiecti aptitudine ad hoc obiectum (*experimentum praevium*). Hic contractus et hoc experimentum antecedunt primarium et principalem contractum, qui proprie intenditur, et qui vocatur « *contractus ad experimentum* ».

5. Contractus « ad experimentum » supponit in contrahentibus saltem intellectuale *iudicium*: contractum qui « ad experimentum » initur, admittere solutionem et rescissionem; nam contrahentes rationabiliter non possunt concipere et retinere propositum resiliendi pro fausta aut infausta experientia futura a contractu inito, nisi eum ha-

beant solubilem. Sed quaeritur: utrum contractus « ad experimentum » denotet solum *iudicium* solubilitatis, an solubilitatis etiam *voluntatem*.

6. In solvenda hac quaestione latet tota difficultas et ambiguitas rectae et accuratae analysis contractus ad « experimentum ». Ratio hic habenda est considerationum quibus innititur norma canonis 1084 de *errore simplici*, dante causam contractui, de quibus fuse actum est in antecedenti articulo « Defectus consensus in matrimoniis acatholicorum » (*Periodica* XXVII, 1948, pag. 209 sqq.). *Potest* enim esse, ut uterque vel alteruter contrahens in proposito « *faciendi experimenti* », necnon in eius exsecutione, ducatur solo *iudicio* (sive vero sive falso) solubilitatis; ex quo dein iudicio, tamquam ex praemissa alicuius syllogismi impliciti deducat « consequens »: sibi possibile esse *experimentum* et pro eius eventu sibi esse possibilitatem sive resiliendi a contractu, sive in eo persistendi. Tale autem iudicium, (item talis ex eo deducta conclusio logica) non est aliquod elementum constitutivum ipsius *voluntatis contrahendi* in momento contractus, ideo solubilitas in tali casu manet extra *obiectum* contractus, quia manet extra *voluntatem*. Neque, facta suppositione experimenti faciendi, « solubilitas » necessario a contrahentibus ut proprie dicta « *condicio* », a qua voluntas contrahendi fiat dependens, considerari debet. (Ita e. gr. qui « ad experimentum » facit contractum emptionis horologii, vel init contractum locationis-conductionis operae, quos contractus ipse putat (fortasse erronee) solubiles, *non necessario* habet voluntatem *condicionate* emendi vel contrahendi).

7. At, contrahentes progredi *possunt* ultra *iudicium* solubilitatis, et sua *voluntate* (sive explicita sive implicita) *facere* contractum ineundum *solubilem* utique intuitu faciendi experimenti circa contractus adimpletionem et perdurationem. Haud raro in contractu « ad experimentum » indubie inter partes stabilitur recessus a contractu in casu

infausti eventus experimenti, ita ut solubilitas intret etiam voluntatem momento contractus.

8. Contractus igitur « *ad experimentum* » et uno et alio modo iniri potest, scl. aut cum solo *iudicio* solubilitatis, aut cum solubilitatis etiam *voluntate.*

Inde apparet: neque conceptu, neque semper re idem esse: contrahere « *ad experimentum* » et contrahere « *solubiliter* »; quamvis, ut iam dictum est, voluntas faciendi experimentum necessario supponat *iudicium* de contractus solubilitate.

9. Hae considerationes generales de « contractu ad experimentum » iam applicandae sunt ad *contractum matrimonialem* « ad experimentum » initum.

Structura iuridica « matrimonii ad experimentum » est varia pro varia voluntate contrahentium.

10. ... Voluntas contrahentium esse potest: nunc ineundi verum matrimonium, in eoque persistendi perpetuo, supposito attamen quod matrimonialis cum comparte cohabitatio felix fuerit, resiliendi autem a contractu, si convictus coniugalis non placuerit. Talis voluntas partium alicui videri potest voluntas sensu proprio et pleno *resolutive condicionata.* Condicio ita esset efformanda: « Tecum contraho, et contractui stabo, si nostra cohabitatio fuerit felix et pacifica ». Haec condicio « *pacificae et felicis cohabitationis futurae* », ratione sui, non est contra substantiam matrimonii, sed est de bono futuro possibili; ideo ratione sui non invalidat matrimonium. Sed quia simul connotat et adnexam habet eventualem resolutionem contractus, non verificata scl. felici cohabitatione, et quia matrimonium solutionem non admittit: haec condicio « felicis futurae cohabitationis » illicita dici debet et pro non adiecta habenda est (cf. can. 1092 n. 1), donec probetur: eam sensu pleno et presso intentam fuisse ut *con-condicionem* inseparabiliter nexam cum matrimonii intenta solubilitate, quod esse potest, sed non esse debet. Primarium enim et immediatum obiectum « condicionis » non est « solubilitas matrimonii »,

sed « futura felix cohabitatio »; praeterea non immediate adicitur contractui *ineundo,* sed contractui inito seu perseverationi in connubio *iam contracto.*

b) « *Felix futura cohabitatio* » insuper non necessario considerari et dici debet « condicio » in sensu iuris (idest: circumstantia incerta, a qua contrahentes dependere faciant suam contrahendi voluntatem); potest esse merus « modus » superadditus, qui neque *obiectum* contractus ut aliqua eius pars ingreditur, neque significat *circumstantiam a qua voluntas contrahendi* fiat dependens. Talis vero « modus » ratione sui non irritat contractum, sed contractui quoad Esse essentiae et exsistentiae iam perfecte constituto aliquid superaddit, quod contrahentes « *etiam fieri* » volunt.

c) Adiectio huius circumstantiae (sive tamquam condicionis sive tamquam modi) supponit quidem (iuxta ea quae supra exposita sunt) *iudicium* erroneum resolubilitatis matrimonii; sed hoc iudicium erroneum potest habere rationem « *erroris simplicis* » qui causam dat contractui; non supponit necessario etiam *voluntatem* solubilitatis. Et « propositum » condicionatum solvendi contractus potest esse mera logica *deductio* ex falsa praemissa intellectuali; « propositum » non exigit circa falsam illam « praemissam » aliquem correspondentem actum voluntatis.

d) Ex dictis deduci debet: si analysis intentionis eorum, qui « *ad experimentum* » matrimonium ineunt, talis est qualis modo descripta est, respectivum matrimonium dici potest et debet validum.

11. ... Voluntas contrahendi « ad experimentum » aliquando aliam habet analysim. Significare potest voluntatem de iure perpetuo tradendo et acceptando, *contrahendi* nunc (scl. ponendi omne id quod ad subiectivum actum contrahendi requiritur), sed differendi *effectivum transitum* huius iuris ad tempus futurum, quando scl. ex facto quotidianae consuetudinis coniugalis experimento, de fundata spe felicis per totam vitam cohabitationis constiterit.

Effectivus transitus iuris perpetui in tali casu est *« diei addictus », incerto « an » et « quando »*. Huiusmodi « dies » vero in iure aequiparatur « condicioni »; in casu condicioni suspensivae. « Contractus » de vero matrimonio ineundo peragitur hic et nunc per sincerum consensum de praesenti praestitum; sed transitus iuris, de quo contractum est, interim per voluntatem contrahentium suspenditur; (cf. can. 1092, n. 3, ubi dicitur « valorem » matrimonii suspendi; accuratius diceretur suspendi consensus matrimonialis sincere praestiti *« efficaciam »*).

b) *Matrimonium ad experimentum* cum tali voluntate suspendente initum, non est « invalidum », si « invalidum » sumitur pro « non-exsistente »; consensus matrimonialis « exsistit »; sed nondum habet *efficaciam* (vel effectum), quam postea habebit.

c) Supposita hac voluntatis dispositione, si coniuges ante experimenti felicem eventum ab invicem definitive recedunt, et ad alias nuptias transire desiderant, novis eorum nuptiis non obstat impedimentum ligaminis, ex priore matrimonio orti, cum vinculum (quod tandem ex iure effective dato et accepto oritur) numquam ortum fuerit. Ubiprimum autem experimentum felicem successum obtinuerit, consensus, initio quoad efficaciam suspensive datus, ipso facto in absolutum transit et plenum sortitur effectum, idest vinculum matrimoniale indissolubile.

12. Tandem voluntas contrahendi « ad experimentum » significare potest (et forte regulariter de facto significat) voluntatem praesentem non-contrahendi nisi *solubiliter*. In hac suppositione voluntas in actu contrahendi *pro obiecto* habet matrimonium solubile, *pro motivo* vero experimentum felicis vel infausti successus communionis coniugalis. Talis consensus matrimonialis ab initio est nullus, et manet nullus, independenter ab evento positivo nel negativo experimenti.

13. *a*) Initio iam notatum est: regulariter omne matrimonium, quod cum voluntate non nisi solubiliter contra-

hendi initur, « ad experimentum » iniri. Ideo enim nupturientes nolunt *indissolubiliter* contrahere, quia experimentum felicis cohabitationis facere volunt, et sibi possibilitatem resiliendi a contractu reservare intendunt. Hoc factum cotidianae fere experientiae ratio est, cur quidam, qui dicere volunt: contrahentes solummodo « *solubiliter* » contraxisse, utantur phrasi: eos contraxisse « *ad experimentum* », quasi haec duo essent idem. Sed hic modus minus accurate sentiendi et loquendi ansa evadere potest erroris funesti, eo scilicet, quod multi deductionem invertant, et ex eo, quod quidam contraxerint « *ad experimentum* », sine omni ulteriore inquisitione inferant: eos contraxisse « *solubiliter* ». At talis illatio non valet simpliciter nec semper. Ex accurato tandem examine voluntatis contrahentium erui et demonstrari potest, utrum solubilitas fuerit solummodo obiectum alicuius *erroris simplicis*, etsi dantis causam contractui, an obiectum alicuius *voluntatis*, non nisi solubiliter contrahendi.

b) In vita practica homines non iudicant neque agunt *in terminis iuris et scientiae;* ideo eius, qui in casu particulari intentionem contrahentium examinare debet, est detegere, sub quibusnam conceptibus et terminis technicis subsumendum sit, quod contrahentes revera voluerunt et intenderunt momento contractus. Contrahentes « ad experimentum », quando ineunt matrimonium, sic fere (in terminis vitae et cotidiani usus) loquuntur: « Faciamus experimentum et contrahamus! Quid postea eventurum sit, videbimus. Manet nobis semper facultas discedendi, si feliciter et pacifice convivere non poterimus ». Talis modus cogitandi et loquendi signum esse *potest* praesentis voluntatis non contrahendi nisi solubiliter; *potest* autem etiam significare praesentem voluntatem: eventualiter postea solummodo *deducendi conclusionem* ex praemissis falsis, quas *iudicant* veras, quin tamen eas *velint propria voluntate facere veras*, eo scl. quod et ipsas praemissas faciant obiectum (aut condicionem) suae voluntatis contrahendi.

Omnino aliud est: *velle* solummodo *consequens* falsum, logice deductum ex praemissis falsis, quas quis antecedenter ad suum iudicium et independenter ab eo putat *veras;* et aliud: *velle ipsas praemissas* falsas, quas quis putat esse veras, seu facere eas obiectum suae voluntatis in ipso actu contrahendi.

14. Secundum ea, quae hucusque exposita sunt, in « *matrimonio ad experimentum* » tres diversae intentiones contrahentium occurrere possunt momento ipsius contractus:

1) intentio hic et nunc vere et simpliciter ineundi matrimonium, sed cum addita quasi-condicione resolutiva, (vel forte rectius cum addito « modo » resiliendi a contractu), si felicis convictus matrimonialis experimentum non bene successerit;

2) intentio hic et nunc vere et simpliciter ineundi matrimonium, sed cum intentione differendi effectivum transitum iuris perpetui, usque dum ex faciendo experimento constiterit, convictum matrimonialem, per totam vitam continuandam fore moraliter certo faustum et felicem;

3) intentio hic et nunc non contrahendi nisi solubiliter, et hoc ideo, ne postea opponatur ulla difficultas resiliendi a contractu, quando faciendum coniugalis vitae experimentum monstraverit: cohabitationem felicem et pacificam perpetuam sperari non posse.

15. In hoc tertio casu consensus matrimonialis statim ab initio est substantialtier vitiatus, et matrimonium est nullum; in secundo autem et in primo casu ipse consensus non necessario et rei natura ideoque neque semper est et dici debet nullus et irritus.

Inde patet consequens et conclusio: « Non in omni « matrimonio ad experimentum », quasi a priori et ex visceribus rei, asseri et statui potest consensus matrimonialis *substantialiter vitiatus,* sed in unoquoque casu particulari accuratum verae contrahentium voluntatis examen instituendi debet.

F. Hürth S. I.

SACRA ROMANA ROTA

De impedimento vis et metus apud orientales

Coram R. P. D. Arcturo Wynen, Ponente.

1. Lola, 18 anos nata, patre orbata, et Sergius, praefectus militum, uterque religionis orthodoxae, die 28 iunii 1914 in oppido N. matrimonium tam civile quam religiosum inter se inierunt. Sed iam triennio post mulier viro suo, in castris commoranti, scripsit se non amplius posse vivere cum eo, atque posthac eadem a Tribunali civili petiit obtinuitque divortium. Cum tamen deinceps coram magistratu civili novum attentaverit inire matrimonium cum aliquo viro catholico, cumque desideret cum eodem contrahere matrimonium religiosum, Lola die 28 septembris 1933 adiit catholicum Tribunal ecclesiasticum Bucurestiense, a quo petiit ut suum matrimonium declararetur nullum ex capite vis et metus ipsi a sua matre et fratre incussi. Attenta religione acatholica partium, Officialis Curiae Bucurestiensis die 16 februarii 1934 declaravit Lolam non habere ius accusandi suum matrimonium coram Tribunali ecclesiastico catholico.

S. Congregatio S. Officii autem, ad quam res delata fuerat, die 24 maii 1934 rescripsit Tribunal Bucurestiense ad ulteriora procedere posse, dummodo pars actrix antea catholica fieret. Postquam deinde Lola die 21 novembris 1934 fidem catholicam amplexa est et die 3 maii 1935 novum exhibuit libellum, Archiepiscopus die 15 maii novum fecit recursum ad S. Officium, a quo die 25 iulii 1935 facultatem conficiendi processum obtinuit. Tum Officialis Curiae Lolam invitavit ad exhibendum tertium libellum, id quod mulier die 10 octobris 1935 perfecit.

Post causae instructionem, annis 1936-40 peractam, die 5 decembris 1940 prodiit sententia, votis actricis con-

traria. Actrix autem, demum quatuor annis post de iure suo appellandi certior facta, provocavit ad Tribunal Iasense, quod die 7 februarii 1945 primam sententiam infirmavit et nullitatem matrimonii impugnati proclamavit. Ob appellationem a Defensore vinculi institutam causa pervenit ad S. Congregationem S. Officii, quae tamen causam diudicandam remisit ad N. S. Auditorium. Attentis difficultatibus postbellicis, vir conventus non potuit de novo citari; cum vero idem vir iam in prima instantia comparuerit et iuxta suam religionem orthodoxam novum inierit matrimonium, instante actricis patrono a Summo Pontifice petita et die 13 febr. 1948 concessa est dispensatio a nova citatione conventi acatholici. Die 10 iunii 1948 Patres de turno convenerunt ad definiendam causam, sed opportunum duxerunt decisionem differre atque quaestionem iuris adhuc melius perscrutari. Hodie autem tandem aliquando responderi potest ad dubium, inter Defensorem vinculi et patronum actricis concordatum: « An constet de matrimonii nullitate, in casu ».

2. *In iure.* Cum in casu agatur de aliquo matrimonio inter duos orientales schismaticos contracto, quod contenditur esse nullum ex capite vis vel metus sponsae illati, videndum est, an adductum caput nullitatis liget orientales schismaticos matrimonium inter se contrahentes. Iamvero ad hoc quaesitum respondendum est, tam iuridice quam historice constare, quod impedimentum vis et metus liget I) non solum orientales catholicos, II) sed etiam orientales dissidentes.

3. I. *Orientales catholicos* ligari impedimento vis et metus sequitur in primis ex generali *principio iuridico.*

Hoc impedimentum in ipso iure naturae *fundari,* a nemine in dubium vocatur, potius ab omnibus Auctoribus ultro admittitur. Sed ulterius quaeritur, an ipsa *substantia* huius impedimenti dirimentis (abstrahendo scl. ab eius accurata circumscriptione vel etiam extensione forsitan per legem mere ecclesiasticam factam) sit iuris naturalis.

Ad hanc quaestionem S. Thomas (*Summa Theol., Suppl.,* XLVII, art. III), etsi non explicitis verbis, tamen aequivalenter affirmativam dedit responsionem. Nam declaravit: « Decretalis dicit, c. *Cum locum,* De sponsal. et matrim.: « Cum consensus locum non habeat, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est ut ubi assensus cuiusquam requiritur, coactionis materia repellatur ». Sed in matrimonio requiritur communis consensus. Ergo, etc. ». Deinde sic prosequitur: « Vinculum matrimonii est perpetuum. Unde illud quod perpetuitati repugnat, matrimonium tollit. Metus autem qui cadit in constantem virum, perpetuitatem contractus tollit, quia potest peti restitutio in integrum. Et ideo haec coactio metus quae cadit in constantem virum, tollit matrimonium, et non alia ».

Divum Thomam secuti sunt Canonistae magni nominis, inter quos eminet cl. Wernz (*Ius Decret.*, vol. IV, n. 266), qui ad rem haec tradit: « Quae sententia (affirmativa), quamvis interdum defendatur nonnullis argumentis minus firmis, tamen generatim melius fundata esse videtur. Etenim RR. Pontifices si in capitibus Iuris Decretalium, v. g. cap. 14, X. *De sponsal.,* matrimonia metu contracta declarant invalida, non supponunt positivum ius quoddam antiquum sive scriptum sive consuetudinarium, ut arbitrantur Sanchez aliique, sed potius ad rationes ex defectu consensus et natura rei petitas recurrunt. Deinde aequitas naturalis exigit, ut pars, quae ab altero coniuge vel a tertia persona vim passa est, in integrum restituatur. Quae restitutio fieri nequit, si matrimonium fuerit validum; obstat enim indissolubilitas vinculi contracti; ergo ut consulatur parti laesae, ab initio nuptiae invalidae sint oportet. Tandem lex quaedam naturalis est irritans, si versetur de actibus, qui non tantum transeuntem, sed perpetuam turpitudinem continent. At si matrimonium ex metu isto gravi contrahatur, non solum in actu transeunte celebrationis, sed postea quoque perdurante metu suam turpitudinem radicalem non amittit ». Cappello quoque (*De sacram.,*

vol. III, n. 609, ed. III) dicit: « Prior sententia (affirmativa) nobis probabilior videtur ».

4. Insuper S. Congregatio S. Officii, die 15 februarii 1901 in Instructione Episcopis Albaniae data declaravit, in impedimento raptus « duplex, ut plurimum, in violentis huiusmodi mulierum abductionibus impedimentum distinguendum esse, alterum scl. ex capite vis et metus, quod reapse consensum afficit quodque proinde in ipso iure naturali fundamentum habet; alterum ex iure positivo Tridentino seu raptus simpliciter... Iamvero cum super priore, quoties adsit, nullus dispensationi sit locus, totus in eo quaestionis cardo vertitur, num, ob peculiares istorum locorum circumstantias, Tridentinam legem relaxari expediat quatenus absit (videlicet: impedimentum vis et metus) » (*Codicis I. C. Fontes,* vol. IV, n. 1250).

5. Quamvis Ecclesia controversiam canonistarum de origine impedimenti vis et metus nondum clara definitione rei solverit, tamen saltem probabile, immo probabilius est, ipsam substantiam huius impedimenti esse non meri iuris ecclesiastici, sed iuris naturalis. Ideo nunquam auditum est Ecclesiam ab hoc impedimento dispensasse, ne scl. attentetur dispensatio super aliquo impedimento ex ipso iure naturae derivante. Unde sequitur, hoc impedimento teneri non solum Ecclesiam Latinam, sed etiam Orientalem, iuxta principium iuris: « Ab Orientalibus canones quoque servandi sunt qui ius divinum dubium tuentur » (Cicognani-Staffa, *Commentar. ad librum primum C. I. C.*, ed. II, vol. I, pag. 28). Quare bene intelligitur S. Congregationem S. Officii in sua Instructione ad Episcopos Rituum Orientalium, anni 1883, art. 3, uti certum posuisse, quod impedimentum vis et metus vigeat etiam in Ecclesia Orientali.

6. Orientales catholicos omnes etiam *de facto* ligari impedimento vis et metus, ex dispositionibus Conciliorum vel Synodorum diversorum Rituum unitorum clare apparet. Quamvis singuli Ritus potestatem habeant leges ferendi pro suo Ritu, tamen quoad nostrum impedimentum nulla exsi-

stit dispositio contraria; religioso quodam instinctu et sub ductu S. Spiritus factum esse videtur, quod orientales catholici nunquam cogitaverint immutare legislationem Ecclesiae Romanae hac in re. Ceterum infra videbimus, iam ante schisma saeculi XI Ecclesiam impedimentum vis et metus, cum iure naturali intime conexum, pro omnibus fidelibus statuisse. Cum sit extra ambitum praesentis causae omnes et singulos fontes iuris particularis diversorum Rituum adducere, paestat expositionem iuris continere dispositionibus iuris Ritus Rumenici.

7. Rumeni, per saecula in captivitate spirituali constituti (de quo cfr. de Clercq, *Les églises unies d'Orient,* Bloud 1935, p. 86: Vostinariu, *De conditione iuridica Ecclesiae cath. in Romania,* Romae 1943 p. 7 s.), ut primum suam libertatem adepti sunt, a. 1697-98 reorganisationem sui Ritus instituerunt et a. 1853 in provincia autonoma constituti sunt. « Dans les principautés de Moldavie et de Valachie, à cause de la domination turque et de l'influence de Constantinople, il n'y eut pas de nombreux retours à Rome, mais beaucoup de catholiques roumains de Transylvanie y émigrèrent au XIX siècle ... C'est cependant surtout depuis l'érection de la province de Fagaras que les Roumains catholiques se sont donnés une législation : trois conciles provinciaux, dits de Fagaras, se tinrent à Blaj, en 1872, 1882 et 1900 — ce sont des modèles du genre — en même temps que des synodes continuèrent à réunir des délégués du clergé dans chaque diocèse » (de Clercq, l. c., p. 87 et 89).

8. Quoad impedimentum vis et metus Patres Concilii Provincialis anni 1882 adhibuerunt substantialiter eandem formulam, quae in universa Ecclesia, tam Latina quam Orientali, in usu erat. « Ex eodem consensus defectu — pronuntiatum est in Conc. II anni 1882 (tit. IV, sect. I, c. II § 5 b) — invalidum est matrimonium vi physica contractum, quando nempe aliquis verberibus aut gravibus corporis afflictionibus ab iis quorum potestati obnoxius est, ad praestandum consensum adigatur; vel quando ali-

quis moraliter, id est comminatione mali alicuius externi relative gravis, iniusti, certi ac inevitabilis, quod virum etiam alias constantem et cordatum terrere possit, ad ineundum coniugium compellatur » (*Cod. Can. Orient., Fonti* fasc. X, p. 873). Ceterum Rumeni ab antiquis temporibus speciale habebant motivum sese conformandi Ecclesiae Latinae. Etenim Vostinariu (l. c. p. 3) ad rem recte animadvertit: « Certum est Evangelii praecones docuisse proavos Romenorum dexterae et sinistrae ripae Danubii, resonare Christum corde romano, id est lingua latina et ritu quo tunc utebatur Ecclesia romana ». Quae traditio apud Rumenos nunquam penitus exstincta est.

9. Postquam autem sub Pontificatu Leonis XIII in antiquo Regno Rumenico hierarchia de novo instituta est et duae dioeceses Jasen. et Bucurestien. fundatae sunt, tota legislatio Ritus Rumenici eo ipso extensa est ad novum territorium. « In legibus enim ecclesiasticis — docet Coussa (*Epitome Praelect. de iure eccl. orientali*, ed. II, Romae 1948, p. 16) — distinguendae sunt leges ritum praecipue respicientes a ceteris mere disciplinaribus: illae cuiusque Ritus fideles ubique tenent (ita v. g. impedimenta matrimonii, irregularitates, impedimenta ad sacram Ordinationem, dies festi de praecepto etc.), ceterae quae magis relationem dicunt ad exercitium iurisdictionis Hierarchae loci, tamdiu nos ligant quamdiu propter domicilium, quasi domicilium vel actualem commorationem subicimur nostri Ritus Hierarchae in loco constituto ». Legislationem autem Conciliorum Provincialium omnes fideles ritus rumenici obligare voluisse atque obligasse, a nemine hucusque in dubium vocatum est.

10. II. Quaestionem autem quod spectat, an etiam *Orientales* schismatici seu *dissidentes* hoc impedimento vis et metus adstringantur quando inter se matrimonium contrahunt, haec dicenda sunt.

Ante omnia certissimum est *omnes homines*, tam baptizatos quam non baptizatos, ligari iure naturali. Iamvero

supra (n. 3-5) expositum est, impedimentum vis et metus non esse meri iuris ecclesiastici sed *saltem* probabiliter etiam iuris naturae, atque iuxta intentionem Ecclesiae etiam orientales teneri iure divino utcumque dubio (n. 5). Insuper impedimentum vis et metus est iuris quoque ecclesiastici, et palam est etiam orientales dissidentes ligari hoc impedimento; nam schismatici quoque sunt subditi Romani Pontificis et subiecti Ecclesiae legibus, « nisi Ecclesia, pia mater, ne peccata multiplicentur, velit eos eximere » (Gasparri, *De matr.*, ed 1932, n. 257). Eiusmodi vero exemptionem nunquam ab Ecclesia factam esse quoad impedimentum vis et metus, in dubium vocari nequit, quoniam secus Ecclesia dissidentes liberasset ab aliqua lege, quae certe intime conexa est cum iure naturali et saltem probabiliter est postulatum ipsius iuris naturae.

11. Ceterum positive constat Ecclesiam dissidentes, nedum ab impedimento vis et metus, sed neque in genere voluisse eximere ab observatione legum generalium et in specie impedimentorum utcumque mere ecclesiasticorum. Ut haec *quaestio facti* demonstretur, sufficit recolere tria exempla seu facta historica.

a) Anno 1631 alicui coetui Theologorum in Sede S. Congregationis de Propaganda Fide coadunato propositum est dubium: « An Summus Pontifex intendat graecos et alios sedibus patriarcharum schismaticorum subditos comprehendere in Bulla *Coena Domini*, aliisque Constitutionibus Apostolicis, in quibus casus sibi et Sedi Apostolicae reservat ». Illi autem Theologi, respondentes non ad quaesitum particulare sed ad dubium generale, « convenerunt in negativam sententiam, quam tamen limitarunt tripliciter: « 1º in materia dogmatum fidei; 2º si Papa explicite in suis Constitutionibus faciat mentem, et disponat de praedictis subditis patriarcharum Sedium, ut in casu schismaticorum Bullae *Coenae;* 3º si implicite in eisdem Constitutionibus de eis disponat, ut in casibus appellationis ad futurum Concilium, et deferentium arma ad infide-

les, et similibus » (Mansi, *Collect. Concil.*, vol. L, coll. 36 (= 1092). Quae tamen resolutio *a nullo Pontifice approbata fuit* (Mansi, l. c. col. 37).

Benedictus XIV in sua Encyclica *Allatae sunt* de Ritibus Orientalibus, die 26 iulii 1755 publicata (*Codicis I. C. Fontes*, vol. II, p. 473, § 44) commemorat quidem illam resolutionem, at eam reliquit insolutam. Textu resolutionis originalis nonnihil immutato, haec ibi legimus: « Cum in Constitutione (de novo Calendario) nullum de Orientalibus factum fuerit verbum, exurgit hinc quaestio, num eadem Orientales afficiat; quae quidem quaestio non a Doctoribus modo instituitur ..., sed eadem proposita discussaque fuit in praestantium Virorum conventu habito die 4 iulii 1631 ... Haec autem tunc prodiit resolutio: 'Subditi quatuor Patriarcharum Orientis non ligantur novis Pontificiis Constitutionibus, nisi in tribus casibus: primo in materia Dogmatum Fidei (etc. sicut supra)' ». (Neque *Collect. S. Congr. de Prop. Fide*, ed Romae 1893, p. 798, n. 1999, adducunt textum originalem illius resolutionis, sed verba Constitutionis *Allatae sunt*). Benedictus XIV omisit igitur verbum *schismaticorum* (cfr. supra textum dubii illi coetui propositi et ab eo soluti), id quod ostendit Summum Pontificem noluisse in subditis Patriarcharum orientalium distinguere subditos dissidentes a subditis catholicis seu unitis cum Sede Apostolica, quippe qui *omnes* sint subditi Patriarcharum catholicorum. Ipsam autem resolutionem Benedictus XIV neque approbavit neque reprobavit; quare illos subditos eximere noluit ab obligatione servandi praescripta novarum Constitutionum. Cum vero in tota hac quaestione sermo factus sit nonnisi de *novis* legibus, inde indirecte sequitur nullum tunc exstitisse dubium *de praeterito*. Atqui impementum vis et metus, de quo heic disputatur, saeculo XVII (infra n. 13 ss. plus dicemus) iam dudum in vigore erat. Dicto saeculo proinde supponebatur orientales quoque, non exceptis schismaticis, legibus universalibus Ecclesiae ligari.

b) Durante praeparatione Concilii Vaticani « disputatum est, an nova impedimenta matrimonium dirimentia, si quae Vaticanum Concilium inter orientales inferat, ita sint enuncianda, ut schismaticos quoque complectantur. Omnes quidem (scl. Consultores respectivae Commissionis orientalis) arbitrati sunt eos eximendos esse, sed quoad modum huius exemptionis exprimendae Consultores in diversas abierunt sententias (Mansi, l. c., vol. L, coll. 109 s.). Hanc propositionem antecesserat longa et accurata disputatio in illa speciali Commissione Orientali (ibi, coll. 36 ss.), cuius membra, notissimi Canonistae, totam rei quoquoversus examinaverunt. Propositio quidem adducta ab ipso Concilio Vaticano, ob eius interruptionem, nondum approbata est, at merum factum, quod huic Concilio a peritis iuris eiusmodi propositio facta sit, iterum demonstrat opus esse explicita manifestatione voluntatis Legislatoris ad excludendos orientales dissidentes a *novis* legibus (in casu) matrimonialibus, quin quoad praeteritum ostendi valeat Ecclesiam *de facto* iam exclusisse schismaticos a suis legibus generalibus.

c) Consultores denique, qui in canones novi Codicis Iuris Canonici expediendos apteque redigendos contulerunt operam, quoad legislationem de matrimonio proposuerant schema: « Legibus mere ecclesiasticis, in materia matrimoniali latis, Ecclesia non intendit baptizatos extra suum sinum nec ad ipsam conversos teneri, exceptis impedimentis, in quibus ipsa non solet dispensare ». Multorum autem Episcoporum desiderium quoad eandem rem breviter ita propositum fuit: « Protestantes et schismatici pertinentes ad sectas non teneantur impedimentis iuris ecclesiastici ». Sed neque primum neque alterum propositum a Legislatore acceptatum est, cum contrarium appareat ex can. 12, 87 aliisque (cfr. van Hove, *De legibus* n. 192 s.). Tantummodo quoad duo capita in re matrimoniali liberati sunt, scl. quoad impedimentum disparitatis

cultus (can. 1070, § 1) et quoad formam substantialem matrimonii (can. 1099, § 2).

Etsi Codex I. C. per se « unam respicit Latinam Ecclesiam », exceptis excipiendis (cfr. can. 1), et quamvis impedimentum vis et metus nullatenus dici possit esse iuris mere ecclesiastici, tamen ex Legislatoris modo sese gerendi quoad adducta proposita, exemptionem dissidentium ab ecclesiasticis legibus matrimonialibus in genere desiderantia, sequitur Ecclesiam noluisse relaxari totum principium generale, iuxta quod omnes baptizati, etiam haeretici et schsmatici, tenentur legibus Ecclesiae.

Deficiente igitur expressione positiva, qua schismatici, sive latini sive orientales, a servando impedimento vis et metus exempti sunt (dato, nullatenus concesso, quod agatur de impedimento iuris mere ecclesiastici), statui nequit orientales dissidentes non ligari hoc impedimento. Id quod profecto deducitur ex omnibus tribus exemplis ex saeculo XVII, XIX et XX desumptis, si una simul perpendantur.

12. Supra (n. 7-9) ostensum est, impedimentum vis et metus vigere in ritu Rumenico unito. Sed iuxta sanam doctrinam orientales dissidentes tenentur, praeterquam legibus pro universa Ecclesia latis, legibus illius ritus, ad quam ante separationem ab unitate Ecclesiae pertinebant. Quamvis S. Sedes hanc normam expressis verbis non statuerit, agitur nihilominus de re certa, sicut cl. Herman (*Reguntурne Orientales dissidentes legibus matrimonialibus Ecclesiae latinae?*, in *Periodica*, tom. XXVII, 1938, p. 10-15) clare demonstravit.

Auctor quidam anonymus alicuius articuli (*Consult. Iur. Can.* vol. II, p. 10 ss.), postquam ostendit orientales dissidentes non ligari impedimentis matrimonialibus Ecclesiae Latinae, sed tantum iis quae « a Romano Pontifice pro universa Ecclesia catholica et non pro solius Latini ritus fidelibus » statuta sunt, sustinere videtur iis solis impedimentis orientales dissidentes practice ligari, quae iam

ante lugendum schisma exstiterint. Siquidem scribit: « Matrimonum igitur in casu ideo praesertim validum habendum est, quia impedimentum de quo agitur (scl. consanguineitatis in quarto gradu lineae collateralis aequalis) *ante schisma* non exstitit » (l. c., p. 14). Hoc tamen acceptari nequit. Sicuti enim a S. Sede semper proclamatum et a Benedicto XV in Motu Proprio *Dei providentis* diei 1 maii 1917 de novo enuntiatum est, notissimum est « in Ecclesia Iesu Christi, ut quae non latina sit, non graeca, non slavonica, sed catholica, nullum inter eius filios intercedere discrimen, eosque, sive latinos, sive graecos, sive slavos, sive aliarum nationum, omnes apud hanc Apostolicam Sedem eumdem locum obtinere » (*A. A. S.*, vol. IX p. 530). Quemadmodum igitur in Ecclesia Latina illi, qui haeresi vel schismate ab ea sese separaverunt, iuxta normam generalem adhuc et quidem unice subsunt legibus pro Ecclesia Latina latis (exceptis excipiendis, lege speciali statutis), ita orientales, qui sive culpa maiorum sive culpa propria ab una et catholica Ecclesia secesserunt, adhuc subiacent legibus Ecclesiae orientalis catholicae, seu in specie, illius Ritus orientalis uniti, ad quem ipsi vel eorum maiores antea etiam externe pertinebant, eorumque ovile, ad quod reverti debent, est et manet iste Ritus. Iamvero singuli Ritus Ecclesiae orientalis, iuxta normas a Romanis Pontificibus statutas, gaudent potestate leges ferendi eamque exercent, atque hisce legibus, sive ante sive post schisma saeculi XI latis, tenentur omnes orientales, qui iure ad respectivum Ritum pertinent, licet de facto rebelles sint neque amplius recognoscant suum Ritum maternum, qui Romanum Pontificem uti Supremum Caput agnoscit. Neque obiciatur fieri potuisse, ut cuncta membra alicuius Ritus saeculis elapsis a Sede Apostolica separati fuerint et adhaeserint cuidam ecclesiae schismaticae: ut primum enim talis Ritus saltem partim ad unionem cum Sede Apostolica rediit, omnia eius iura revixerunt.

13. Aliud argumentum, ex quo probatur orientales dissidentes ligari impedimento vis et metus, habetur ex facto iuridico, quod tempore magni schismatis anni 1054, seu ante separationem orientalium dissidentium ab unitate Ecclesiae, hoc impedimentum iam in vigore erat *pro universa Ecclesia,* tam Latina quam Orientali.

Urbanus II (1088-1099), disponens de casu alicuius puellae quae ad nuptias coacta fuerat, de impedimento vis et metus non tamquam de *nova* lege ecclesiastica locutus est, sed ad legem praeexsistentem recurrit: « Canonum ac legum scita sequentes, deinceps non prohibemus, quin alii viro, si voluerit, praedicta filia (quae scl. primas nuptias coacta inierat) eius tantum in Domino nubat », c. 1, C. XXXI, q. 2. — Cfr. etiam verbi Nicolai I (858-867) in c. 4, C. XXXI, q. 2, una cum Freisen, *Geschichte des can. Eherechts,* p. 261 ss., et Hefele, *Conciliengeschichte,* vol. IV p, 261 ss., necnon notas historicas apud Wernz, *Ius Decretal.*, vol. IV, n. 262. In formula Urbani II « canonum ac legum scita sequentes » verbum *canonum* indicat leges ecclesiasticas, verbum autem *legum* significat leges civiles seu romanas.

14. Neque obiiciatur, brevi ante citatam decisionem Urbani II magnum schisma iam fuisse explosum. Etenim historice certum est, non obstante defectione patriarchae Michaelis Caerularii ab unitate Ecclesiae, anno 1054 peracta, schisma tempore Urbani II nullo modo in toto Oriente fuisse propagatum; erat tunc potius rebellio illius funesti Patriarcae quam totius Ecclesiae graecae. Cl. enim Leib in suo libro *Rome, Kiev et Byzance à la fin du XI siècle* (Paris 1924) demonstravit etiam post schisma ab illo Patriarca provocatum relationes inter Romanos Pontifices et Ecclesiam Orientalem in fine saeculi XI adhuc bonas, immo arctas fuisse. Inter alia ostendit ex multis exemplis Ecclesiam catholicam tunc non esse protestatam contra matrimonia inter Latinos et Orientales (cfr. caput eius libri inscriptum: « *Les princes chrétiens, Les Allian-*

ces matrimoniales », p. 143-178). Auctorem Leib revera probasse illas arctas relationes inter Romam et Orientem pro secundo dimidio saeculi XI, affirmat Holtzmann, *Unionsverhandlungen zwischen Kaiser Alexios I und Papst Urban i. J. 1089*, in *Byzantinische Zeitschrift*, 1928, p. 38. Secundo dimidio illius saeculi non paucas relationes religiosas inter Occidentem et Orientem extitisse, ostendit etiam Hofmann, *Papst Gregor VII und der christl. Osten*, in *Studi Gregoriani*, Romae 1947, vol. I, p. 169-181. Quae cum ita sint facile intelligitur legislationem Ecclesiae graecae, vicinam illi aetati, impedimentum vis et metus saepe commemorasse; cfr. v. g. decretum synodale patriarchae Joan. Camateri, apud Zhishmann, *Das Eherecht der oriental. Kirche*, Wien 1864, p. 609.

15. Quare ad constituendam antiquitatem impedimenti vis et metus opus non est confugere ad ius consuetudinarium, sicuti v. g. fecit Schmalzgrueber, scribens in tit. I *De spons. et matr.*, n. 407: « Licet quatuor citatis capitibus (c. 14, 15, 26, X, h. t., et c. 2 *De eo qui duxit*) irritatio matrimonii coacti non primum inducatur, et scriptum ius antiquius non allegetur, tamen ex his ipsis textibus, et continua Ecclesiae observantia satis colligitur, quod eiusmodi ius aliquando sit introductum aut viva voce, aut etiam scripto, quod deinde periit, prout in simili responderi debet de impedimento disparitatis cultus ». In Ecclesia haberi ius consuetudinarium admitti quidem debet, id quod Tertullianus perbelle sic enuntiat: « Harum et aliarum disciplinarum, si legem expostulas scriptam, nullam invenies. Traditio ibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, fides observatrix » (*De Corona militis*, cap. 3); et S. Augustinus animadvertit, iam tempore Stephani I et Cypriani « consuetudinis robore orbem terrarum directam fuisse » (*De baptismo contra Donat.*, II, 7). At quoad impedimentum vis et metus ignotus fons scriptus primis saeculis Ecclesiae securius explicatur ex intima connexione huius impedimenti cum ipso iure naturae,

quod quacumque ratione laedere Ecclesia semper abhorruit et abhorrere debet. Siquidem contra certum ius naturae Ecclesia nihil disponere valet, et si agatur de iure naturali tantummodo probabili, pariter Ecclesia abstinet a quacumque possibili laesione eiusdem.

16. Sin autem quaeratur, an Ecclesiae orientales dissidentes *de facto* suis legibus ligentur impedimento vis et metus, respondendum est *affirmative*. Etenim de hoc impedimento, prout in diversis Ritibus dissidentibus viget, Milasch (*Das Kirchenrecht der morgenl. Kirche*, ed. II, versio germ. ex serbico, Mostar 1905, p. 601) tradit: « Eadem principia, quae vim et metum in iure romano uti impedimenta matrimonii constituunt, vigent etiam in iure ecclesiastico orientali ». Reapse is Auctor, qui est episcopus orthodoxus, hoc impedimentum, quamvis ipse id vocet matrimonium impediens, iisdem fere verbis describit ac canonistae Ecclesiae catholicae. Ideo verba Auctoris: « eadem principia... in iure romano » iure merito intelligi possunt de iure quod in Ecclesia romana viget.

Sed etiamsi illa verba referantur ad ius civile seu romanum, nulla habetur difficultas. Cl. Wernz (l. c.) quidem dicit leges romanas vim et metum inter impedimenta matrimonium dirimentia non recensuisse, sed solum rescissionem contractus matrimonialis per actionem vel exceptionem *quod metus causa* admisisse. Verum, salva reverentia tanto canonistae debita, magis placet id quod Pacchioni (*Diritto Romano*, vol. II, p. 151 ss.) docet: « Pur riconoscendo in linea di principio, la validità dei negozi conchiusi sotto la pressione della violenza morale, il diritto romano provvide a reprimere la violenza come tale, e a tutelare le persone contro le quali essa fosse stata adibita. A ciò servirono: 1° l'actio *quod metus causa;* 2° la *in integrum restitutio*, 3° la exceptio *metus causa....* Va infine notato che, se per regola il negozio giuridico viziato da violenza era considerato valido ma annullabile, in qualche caso esso era considerato assolutamente nullo.

Nulle erano le manomissioni determinate da violenza; *nullo il matrimonio*... La validità del matrimonio dipende, secondo le idee romane, dall'esistenza dell'*affectio maritalis*, concepita non già come consenso dato una volta per sempre alla conclusione del matrimonio, ma come affetto perdurante di un coniuge verso l'altro. Dato ciò è evidente che non vi potesse essere matrimonio, quando la convivenza dei coniugi fosse determinata da *metus* ». Quidquid sit de iure romano et de relatione iuris matrimonialis dissidentium ad illud ius, certum est in iure romano impedimentum vis et metus non iis claris dispositionibus contineri sicut in iure Ecclesiae non solum catholicae, sed etiam orientalium dissidentium. Omnia autem suadent dissidentes hac in re stetisse legibus ab Ecclesia catholica traditis, quibus ius naturae clare definitum fuit. Orthodoxos teneri hoc impedimento eoque dirimente explicite asserit etiam Zhismann, l. c., p. 607 s. De dissidenti Ecclesia rumenica in specie cfr. etiam Hahn, *Das Eherecht der europ. Staaten*, Berlin 1904, p. 867; similia quod hoc impedimentum habentur in lege civili Rumenorum (cfr. ex. gr. art. 162 Cod. civ. rum.). At maxime dolendum est orientales dissidentes admittere etiam divortium plenum, quando nullitas matrimonii probata non est. Cfr. Lucaciu, *De divortio in Ecclesia Romena dissidenti*, Romae 1939.

17. Per se autem patet Ecclesiam catholicam non posse agnoscere synodis aut episcopis schismaticis potestatem leges ferendi de sacramento matrimonii (cfr. Coussa, l. c., p. 22 ss.). Si igitur conceditur dissidentes quoque ligari impedimento vis et metus, id iuridice nullatenus tribuendum est eorum legibus hac de re latis, sed unice fontibus iuris qui supra expositi sunt et breviter sic comprehendi possunt: 1° Impedimentum vis et metus, quatenus fundamentum in iure naturae habet, obligat omnes homines, baptizatos et non baptizatos; 2° quatenus est iuris ecclesiastici, obligat iterum omnes baptizatos, nisi Ec-

clesia haereticos et schismaticos ab observatione huius legis exemerit; constat vero talem exemptionem nunquam factam esse, immo exspectari non eposse, quoniam hoc impedimentum saltem probabiliter quoad ipsam substantiam est iuris naturalis; 3° quatenus viget in ritu Rumenico unito, obligat etiam dissidentes huius Ritus; 4° quatenus iam ante schisma saeculi XI pro universa Ecclesia vigebat, adstringebat etiam omnes orientales baptizatos. Unde patet Rumenos dissidentes ex multiplici fonte ligari impedimento vis et metus.

Fu deciso: *Constare* de matrimonii nullitate.

MONUMENTA

31 - SS. D. N. Pius Pp. XII
(*AAS.* xl [26 oct. 1948] p. 433).

Epistula Encyclica

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: PUBLICAE ITERUM INDICUNTUR SUPPLICATIONES AD PACEM IN PALAESTINA CONCILIANDAM.

PIUS PP. XII

Venerabiles Fratres salutem et Apostolicam Benedictionem. — In multiplicibus curis, quae hoc temporum flexu — ex quo futurae maximi momenti condiciones orientur universae hominum familiae — gravissimum Supremi Pontificatus onus Nos experiri iubent, illae peculiari modo Nos sollicitant, quae ad bellum spectant, quod Sacra Palaestinae Loca cruentat. Verum enim vero vobis asseverare possumus, Venerabiles Fratres, nec laetam, nec tristem rerum vicissitudinem acerrimum posse relevare dolorem, qui vehementer Nos angit, dum animo recogitamus illa in regione, in qua Christus Iesus suum effudit sanguinem ut cunctum redimeret hominum genus, fraternum adhuc effluere cruorem; atque ubi primum angelicum pacis nuntium in noctis tenebris insonuit mentibusque affulsit, gentes inter se digladiari, miserorum cotidie magis augeri miseriam, atque expavescentium gliscere terrorem, dum exsules ac profugi, ad milia bene multa e sua terra deturbati, vagantur longe, panem quaerentes tutumque perfu-

gium. Ea etiam peculiari de causa aegritudine maeroreque afficimur, quod Nobis perlatum est illa religionis ac beneficentiae aedificia, quae prope Sacra Loca habentur, non pauca, nec levia accepisse detrimenta; unde timendum est vel ipsa Sacra Loca, cum in Palaestina, tum praesertim Hierosolymae — quae quidem loca natali, vita atque obitu Divini Redemptoris Nostri consecrata fuere — eamdem posse deflendam habere sortem. Supervacaneum autem est, Venerabiles Fratres, vobis significare Nos in praesenti rerum discrimine, quod auctiora etiam mala in posterum portendere videtur, non tacitos Nostrum compressisse in animo dolorem, sed quidquid in facultate esset, studiose effecisse, ut opportunum pro viribus huic causae adhiberetur remedium. Nostis enim, cum ante dimicationis initium Arabum optimates coram admisissemus, qui sua Nobis cupiebant testari obsequia, Nos, factis ad eos ex animo verbis, sollicitudinem Nostram pro Palaestinae pace aperuisse, ac clare affirmateque asseverasse eiusmodi veri nomins pacem non vi, non armis assequendam fore, sed veritate ac iustitia, sed mutua uniuscuiusque iuris in tuto posita securitate, servatisque consuetudinibus a maioribus acceptis, ad religionem praesertim quod attinet, ac debitis utriusque partis officiis invicem praestitis. Cum autem conflagratio iam orta esset, Nos, qui pro Apostolico, quo fungimur, Ministerio, supra humanae societatis conflictus nullo non tempore erigimur, aequanimitate summa impense, pro facultate, allaboravimus, ut concordia ac tranquillitas, cum iustitia copulatae, in Palaestina triumpharent, ac Sacra inibi Loca incolumia atque inviolata manerent. Et quamvis fere undique ad Apostolicam hanc Sedem, supplices preces ab omne genus egentibus admoveantur, nihilo secius, quotiescumque potuimus, iis omnibus enisi sumus suppetias occurrere, qui ex bello detrimenta fecissent, cum per Nostros in Palaestina, in Libano et in Aegypto Legatos impertitis auxiliis, tum aliarum Nationum christifidelibus ad idem propositum atque in-

ceptum paterno animo excitatis. Quoniam vero Nobis perspectum est difficili huic ac salebrosae causae componendae humanas opes impares evadere, precibus potissimum confidimus, quae ad Divinum pacis Principem adhibeantur; atque adeo per Encyclicam Epistulam « Auspicia quaedam », haud ita pridem datam, vos adhortati sumus, Venerabiles Fratres, quemadmodum iterum adhortamur, ut publicae a vobis et a gregibus, pastorali sollicitudini vestrae concreditis, habeantur supplicationes, quibus id tandem, Beata Virgine Maria auspice, impetretur « ut, rebus.. in Palaestina aequitate compositis, inibi etiam concordia et pax feliciter redintegretur »[1]. Haud incassum invitationem eiusmodi Nostram evenisse, non sine animi solacio, novimus. Ac novimus etiam, dum Nos, iis omnibus coniuncti, quos ubique terrarum habemus in Christo filios, supplicando operandoque enitebamur, ut res in Palaestina ordinatim feliciterque componerentur, cordatos non defuisse homines, qui, nec parcentes laboribus, nec periculis territi, ad hoc idem assequendum contenderent propositum; quorum quidem nobiles nisus heic placet publice agnoscere ac dilaudare. In praesens tamen, dum conflictatio non remittit neque conquiescit, ac iacturae ruinaeque, quae inde consequuntur, miserrime augentur, opportunum ducimus Nostras iterare invitationes, fore omnino confisi ut eaedem non modo a vobis, Venerabiles Fratres, sed a christianis etiam omnibus libenti actuosoque animo excipiantur. Quemadmodum postridie calendas Iunias Sacro Purpuratorum Patrum Collegio coram admisso declaravimus, Nostrum eidem pandentes animum ob hanc causam sollicitum et anxium, incredibile prorsus Nobis videtur futurum ut universa christianorum communitas voluntate facile acquiescente, vel inani indignatione cernat sacras illas terras, quas suave omnibus erat invisere, ac venerabundo animo incensoque deosculari amore, ab armigeris ferro ignique vastari, et ab aëronavibus, incendiariis missilibus e caelo deiectis, pessumdari ac diripi;

incredibile prorsus videtur Nobis fieri posse ut Sacra illa Loca ipsumque Iesu Christi sepulcrum temere diruantur. Immo potius fiduciam fovemus bonam fore ut, quae a christianis ex toto terrarum orbe ad Omnipotentem ac Misericordissimum Deum hac de causa admoventur preces, itemque nobilissima illa tot hominum vota, qui veritatem bonitatemque appetunt, id reapse efficiant, ut iis, qui populorum gubernacula moderantur, minus asperum minusque arduum pateat iter, quod ad iustitiam tranquillitatemque in Palaestina restituendam conducat; atque ita res ibi ordinari possint ut — mutua omnium, quorum causa est, consensione et opera collata — et publica privataque utriusque partis securitas in tuto ponatur, et spiritualis socialisque vitae condiciones habeantur, quae ad rectam verique nominis prosperitatem conferant. Parique modo futurum confidimus ut indictae preces ac nobilissima eiusmodi proborum hominum vota — e quibus manifestum est quantopere fere universa humana communitas Sacra illa Loca cordi habeat — iis omnibus, qui in supremis coetibus gravissimam causam tractant de redintegranda populorum pace, id persuadeant prorsus, opportunum nempe omnino esse ut Hierosolymae ac vicinitati, ubi Divini Redemptoris vitae ac mortis veneranda servantur monumenta, regimen tribuatur « internationali » iure statutum ac solidatum, quod in praesentibus rerum adiunctis satius aptiusque videtur sacra eadem monumenta tueri posse. Quo quidem « internationali » iure opportunum itidem erit commeatuum ad Sacra Loca securitatem confirmare, divinorum rituum libertatem sartam tectamque ponere, ac mores denique consuetudinesque a maioribus traditas incolumes servari. Ac faxit utinam Deus ut quam primum dies elucescat, quo pias ad Sacra Loca peregrinationes iterum christiani suscipere possint, ibique iisdem luculentius pateat, Iesu Christi amoris testimonia meditantibus, qui pro fratrum salute vitam profudit suam, quo modo homines ac gentes, pacatis rebus rationibusque suis,

una simul vivere queant. Qua quidem spe freti, cum vobis, Venerabiles Fratres, vestrisque gregibus, tum iis omnibus, qui volenti animo has excipient hortationes Nostras, caelestium gratiarum auspicem Nostraeque benevolentiae testem, Apostolicam Benedictionem perlibenter in Domino impertimus.

Datum ex Arce Gandulphi, prope Romam, die XXIV mensis Octobris, anno MDCCCCXXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. XII

32 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS*, XL [16 aug. 1948] p. 305).

Motu Proprio

ABROGATUR ALTERUM COMMA PARAGRAPHI SECUNDAE CAN. 1099

PIUS PP. XII

Decretum *Ne temere*, decessoris Nostri fel. rec. Pii X iussu latum, statuerat (art. XI) omnes in Ecclesia catholica baptizatos, etiamsi ab eadem postea defecissent, teneri ad servandam matrimonii formam in Concilio Tridentino definitam.

Verum ne irrita evaderent matrimonia eorum qui, ab acatholicis nati et in Ecclesia catholica baptizati, ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adolevissent, in Codice Iuris Canonici statutum fuit huiusmodi baptizatos non teneri ad canonicam matrimonii formam servandam.

At experientia triginta annorum satis docuit exemptionem a servanda canonica matrimonii forma, huiusmodi in Ecclesia catholica baptizatis concessam, bono animarum haud emolumento fuisse, immo in solutione casuum sae-

pe saepius difficultates multiplicasse; quamobrem Nobis visum est expedire ut memorata exemptio revocetur.

Et ideo Nos, auditis E.mis ac Rev.mis Patribus Supremae S. Congregationis S. Officii, Motu Proprio ac de plenitudine Apostolicae potestatis, decernimus ac statuimus omnes in Ecclesia catholica baptizatos teneri ad canonicam matrimonii formam servandam; abrogamus itaque alterum comma paragraphi secundae can. 1099, et iubemus ut verba *item ab acatholicis nati, etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate aut sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint* ex can. 1099 expungantur.

Hac autem arrepta occasione, Missionarios ceterosque Sacerdotes admonemus ut iidem praescripta canonum 750-751 sancte servent.

Mandamus igitur ut hae Litterae Apostolicae Motu Proprio datae in *Acta Apostolicae Sedis* referantur, ac statuimus ut, quae in iisdem iussa sunt, vim suam exerant a die 1 Ianuarii anni MCMXLIX.

Contrariis quibuslibet non obstantibus, etiam peculiari mentione dignis.

Datum ex Arce Gandulphi, prope Romam, die 1 mensis Augusti, in festo S. Petri in Vinculis, anno MCMXLVIII, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. XII

Annotationes

1. Quod ad obligationem sollemnis matromonii formae pro illis qui in Ecclesia baptizati sunt, canon 1099 in prima paragrapho principium generale obligationis, in paragrapho altera exceptionem statuit. Sc. ad illam formam tenentur « omnes in catholica Ecclesia baptizati »; sed, etiamsi fuerint in Ecclesia baptizati, ab illa obligatione eximuntur

si fuerint ab acatholicis nati et in haeresi, schismate, etc. ab infantili aetate adoleverint.

Motu autem proprio: *Decretum*: *Ne temere*, d. 1 aug. 1948 Pius XII decrevit a die 1 ian. 1949 fore suppressam illam exceptionem et verba quae illam exprimunt ex canone 1099, § 2 expungenda esse.

Duo motiva indicantur illius mutationis iuris, sc., experientia docuit illam exemptionem bono animarum haud emolumento fuisse et solutioni casuum saepe saepius difficultates creare. Ad intelligenda illa motiva duo iuvant, sc. consideratio evolutionis legum de forma sollemni matrimonii, secundo mutatio morum quae, iam antea vigens, ultimis annis celerius crevit.

2. Caput *Tametsi* (Trid. S. XXIV, cap. 1, de ref. matr.) primum matrimonia clandestina iam nulla et irrita fore sanxit. Praecepit ad validitatem ut matrimonium coram parocho proprio vel eius delegato et saltem duobus testibus celebraretur. Sed illo tempore iam non paucae erant communitates protestanticae quae suum templum et ministrum haberent. Ne odium in Ecclesiam excitaretur, si matrimonia illorum protestantium nulla ob defectum formae, ideoque concubinatus species declararentur, Patres Concilii eam promulgationis et obligationis formam elegerunt quae illos non afficerent. Quare caput *Tametsi* debuit in singulis paroeciis e mandato episcopi promulgari et in paroeciis in quibus non erat illo modo promulgatum, neminem obligabat.

Aliud motivum non obligandi illos protestantes erat desiderium illorum matrimoniorum validitatem salvare. Concubinatus enim, etiam mere materialis et bona fide admissus, aliquod malum morale est. Praeterea acatholici illi baptizati erant; quare eorum matrimonium, si validum erat, sacramentum erat iisque gratias sacramenti conferebat. Accidit autem ut haeretici non tantum parvo numero in paroeciis catholicis viverent aut ad illas convenirent, sed ut paulatim iuxta paroeciam catholicam communitas

haereticorum formaretur. Immo regiones quae prius catholicae erant principes acatholicos receperunt, ita ut caput *Tametsi* in desuetudinem veniret. Sic Benedictus XIV ad celebrem declarationem *Matrimonia*, d. 4 nov. 1741 [1] devenit qua in Statibus foederatis Hollandiae et Belgii matrimonia acatholicorum inter se et matrimonia mixta a forma Tridentina eximerentur. Quae declaratio postea ad alias quoque regiones a S. Sede extensa est. Notandum est autem tunc temporis viguisse principium quo libertas unius partis a forma alteri communicaretur, ob individuitatem contractus [2].

3. D. 6 aprilis 1859 declaratio benedictina valde latam interpretationem in responso S. C. S. Officii ad Episcopum Harlemensem accepit [3]. Nempe sub verbo: *haeretici* venire dicebantur: « Illi qui catholice baptizati, a pueritia nondum septennali, in haeresi educantur ac haeresim profitentur; 2° qui non tam in haeresi, quam ab haereticis educantur, nulla scilicet vel vix ulla haereticae doctrinae instructione accepta et cultu non frequentato, licet aliquoties participato; 3° qui adhuc pueri in manus haereticorum incidentes, haereticae sectae adiunguntur ... ».

Ratio declarationis S. Officii in aperto est. Omnes isti relate ad cognitionem legis in eadem condicione sunt atque illi qui in haeresi nati sunt et adoleverunt et ad communitatem haereticam pertinent. Iamvero cupiebat aperte Sancta Sedes vitare ne omnes illi propter ignorantiam prorsus invincibilem privilegio validi matrimonii carerent. Nam puto in his casibus minus timendum fuisse odium in Ecclesiam, si declarasset illos forma tridentina teneri. Revera in regione de qua immediate agebatur, protestantes generatim valide omnes baptizabantur, ita ut eorum validum matrimonium sacramentum esset.

---

[1] *Bullarium Benedicti PP. XIV*, t. I, p 87.
[2] Cfr. Wernz, *Ius decret.*, IV, n. 40.
[3] *Fontes C. I. C.*, IV, n. 950, p. 224. — *Coll. S. C. P. F.*, I, p. 641.

Casus matrimonii sub iure tridentino initi rarissimi iam fiunt. Nemo autem ignorat quibusnam dubiis et difficultatibus certi casus ansam darent. Illa plerumque suppressit nova lex de forma sollemni, auctoritate Pii PP. X a S. C. Concilii, Decr. *Ne temere*, d. 2 aug. 1907 inducta et quae a die Paschatis, 19 april. 1908 vigere coepit[4].

4. Competentia parochi quae sub iure tridentino personalis erat (proprius parochus) iam territorialis facta est, ita ut singuli parochi pro quorumlibet matrimoniis in suo territorio competentes essent. Promulgatio decreti pro universo Orbe facta est sicut pro quibuslibet aliis legibus universalibus. Excepta Const. *Provida*, d. 18 ian. 1906[5] pro matrimoniis mixtis in Germania, quae ad Hungariam postea extensa, est, decretum *Ne temere* pro universo Orbe valebat. Ab illo ubique exempti erant omnes acatholici, sive baptizati sive non baptizati, cum inter se matrimonium inibant; in matrimoniis mixtis autem pars a lege libera alteri suam libertatem iam non communicabat, sed obligatio legis qua tenebatur pars catholica alteram eo ipso ligabat.

5. Sed Decr. *Ne temere* quod acatholicos inter se contrahentes a lege eximebat, nullam iam pro filiis eorum in Ecclesia catholica baptizatis, sed extra Ecclesiam educatis exceptionem statuebat. Docemur a Card. Gasparri, *De Matrim.* ed. 3a, n. 1023, Rev. Augustum Silj, Consultorem S. C. C., in Voto circa decretum illud Patribus suggessisse

4 In textu Motus proprii satis mire dicitur: « Decretum *Ne temere* ... statuerat omnes in Ecclesia catholica baptizatos ... teneri ad servandam matrimonii formam in Concilio tridentino definitam ». Nam cap. *Tametsi* matrimonium coram *proprio* parocho, Decr. *Ne temere* coram Ordinario vel parocho *loci* celebrari iubebat. Alia quoque sunt discrimina magni momenti.

Sed qui textum Motus proprii extendit prae oculis certo certius essentialia elementa utriusque iuris, sc. cap. *Tametsi* et decreti *Ne temere* habuit. Scilicet in decreto sicut in capite forma sollemnis ad validitatem exigitur et irrita fiunt matrimonia clandestina; dein in utroque iure exigitur ut matrimonium coram parocho (vel eius delegato) et saltem duobus testibus ineatur.

5 *Fontes C. I. C.*, III, n. 670, p. 659.

ut exceptio illorum filiorum in decretum assumeretur. Procul dubio intentio Consultoris erat ut matrimonia illorum filiorum irrita non fierent ob non observatam legem quam omnino invincibiliter ignorabant.

Redactores Codicis illam exceptionem repristinandam censuerunt et in c. 1099, § 2, comma inscripserunt quo filii ab acatholicis nati, etiamsi in Ecclesia baptizati sunt, a lege formae eximuntur si ab infantili aetate in haeresi, schismate aut infidelitate vel sine religione adoleverunt. Prae oculis certo habebant filios in illis familiis natos in quibus, ob parentum alienationem a catholica religione, puer casu quodam fortuito in Ecclesia baptizatur, dein totam educationem extra Ecclesiam accipit. Casus facile concipiuntur: v. g. in missionibus exteris, praesertim in regionibus in quibus pueri facile a parentibus abiciuntur, puer in periculo mortis baptizatur a medico, a sorore, a sacerdote catholico; dein ad sanitatem redux in manibus versatur hominum qui extra religionem catholicam vivunt. Saepe ille baptismus postea prorsus ignorabitur. Idem accidere poterit in familiis in quibus *uterque* coniux acatholicus est, si puer sive a membro catholico familiae, sive ab alia persona in periculo mortis baptizatur, dein autem convalescit.

6. Condicionem rerum satis mutavit Commissio pont. interpretat. Codicis, quando interrogata num « ab acatholicis nati » habendi essent filii e matrimonio mixto nati, etiam si cautiones praestitae fuerunt, « *Affirmative* » respondit. Sic respondendo sibi sane constabat; nam posita eadem quaestione de primo impedimento simplici ordinum (c. 987) relate ad filios « acatholicorum », responderat impedimentum existere etiamsi alteruter tantum parentum acatholicus erat et in suo errore permanebat. Attamen ratio talis responsi, ubi de exceptione ab obligatione formae matrimonii agebatur, nullo modo eadem erat. Etenim ubi alteruter coniugum catholicus est, praesertim si cum dispensatione et datis cautionibus matrimonium iniit, expec-

tandum est per se filios in Ecclesia baptizatos iri et educationem catholicam aliquam recepturos. Quare non est ratio cur a lege formae eximantur sicuti filii duorum acatholicorum. Praeterea, ut dicetur postea, exceptio illa a gravissima lege stricte interpretanda est. Tandem haec responsio parum cohaeret cum illa d. 22 april. 1940 [6], quae eosdem filios impedimento disparitatis cultus submittit. Sciunt omnes quam facile hodie haeretici cum non baptizatis matrimonium ineant. Si ergo, ut matrimonium illorum filiorum e defectu formae nullum non sit, ab illa lege eximuntur, ob idem motivum ab impedimento disparitatis cultus erant eximendi.

7. Iamvero illa exceptio ab obligatione formae sollemnis, ut patet, ob bonum animarum erat constituta, ut sc. beneficium validi matrimonii haberent. Summus autem Pontifex in Motu proprio declarat illam exceptionem « bono animarum haud emolumento fuisse ». Idque omnino ex experientia triginta annorum apparuit. Quare rationes talem exceptionem conservandi iam non exsistunt. Id sequitur e satis mutatis moribus acatholicorum relate ad baptismi receptionem et matrimonium.

Ac primo ingens numerus hominum qui ab haereticis nascuntur iam non baptizantur. Causae sunt diversae. Fides multum imminuta est et multi parentes acatholici in necessitatem baptismi, saltem pro infantibus, iam non credunt. Multi sunt relate ad baptismum conferendum valde negligentes. Quaedam sectae baptismum puerorum omni effectu carere docent; quare adultos tantum baptizant. Talis est praxis Baptistarum. Accidit autem facillime ut filii acatholicorum, quando ad aetatem duodecim vel quattuordecim annorum perveniunt, et ipsi de recipiendo baptismate nullo modo solliciti sint. Cum magnus sit numerus sectarum protestantium et parentes saepe ad diversas sectas pertineant, facillime errori cedunt filiis suis liberam electionem suae sectae permittendam esse. Quare, etiamsi ipsi

[6] *A. A. S.*, XXXII, 1940, 212. — *Per.*, XXIX, 387.

ad sectam pertineant, quae baptismum puerorum admittit, filios baptizari non curant.

Si autem neuter coniux baptizatus est, matrimonium eorum non est sacramentum; sic cadit iam quaedam ratio eos eximendi a lege formae ut matrimonium validum sit. — Si alter coniux tantum est baptizatus, sententia quae matrimonii sacramentalitatem negat e modo quo Summus Pontifex a vinculo dispensat et e modo loquendi S. Officii certe multo probabilior fit. Inde eadem conclusio. — Si filii de quibus agimus, sc. baptizati in Ecclesia, cum parte non baptizata contrahunt, non obstante libertate ab obligatione formae, matrimonium ob disparitatem cultus est nullum. Non iuvit ergo illa exemptio ab obligatione formae.

8. De validitate multorum matrimoniorum acatholicorum, etiam baptizatorum, dubitari potest ob errores quibus inficiuntur circa essentialia elementa matrimonii et defectum voluntatis qui forte non ita raro adest. Facile enim de temporaria unione conveniunt, quae non est matrimonium. (Mariage à l'essai!) Id quoque de matrimoniis infidelium valet. — Tandem, praesertim in quibusdam regionibus protestanticis, matrimonia incredibili facilitate divortio civili dissolvuntur. In quadam dioecesi Statum foed. Americae sept. habetur divortium pro singulis tribus matrimoniis!

9. Haec rerum condicio quantum ab illa differat quae tempore Concilii tridentini et per duo saltem saecula postea vigebat, nemo non videt. Quare cum casus in quo applicandum est alterum comma can. 1099, § 2 ad Sanctam Sedem defertur, i. e. quando una ex partibus illius matrimonii validi ob exemptionem a forma se convertere et novam unionem contrahere velit, plerumque iam eius matrimonium est irreparabiliter divortio civili destructum. Vali ditas illius matrimonii bono anmarum non favet; contra, obstaculum creat novae unioni, quae cum parte catholica inietur, indissolubilis erit, constitutioni familiae catholicae ortum dabit. Si matrimonium validum fuit, plerumque coniuges gratiam sacramentalem non habuerunt (ut supra

vidimus); quare beneficium exemptionis a lege formae non multum profuit. Si matrimonium ob omissam formam nullum fuit, sine ulla dispensatione pontificia remedium in novo matrimonio, sacramento, invenietur.

Obligatio autem formae pro filiis qui in dictis condicionibus versantur nullum odium in Ecclesiam pariet; protestantes enim illi de legislatione Ecclesiae parum omnino curant. Immo gaudebunt de libertate servata alias nuptias ineundi.

En quid experientia triginta annorum docuerit, sc. bono animarum magis prodesse nullitatem quam validitatem illorum matrimoniorum, obligationem formae quam exemptionem ab ea.

10. Sed Sua Sanctitas aliam rationem supprimendi illud comma affert, quam experientia quoque docuit, nempe difficultates quas suscitat applicatio illius commatis can. 1099, § 2. Id ex eius interpretatione apparebit. Utile autem adhuc est illud interpretari cum omnibus matrimoniis ante d. 1 ian. 1949 initis applicandum sit.

11. Imprimis quaeri potest utrum illud comma stricte an late interpretari debeamus [7]. Quidam enim dicere possit exemptionem a forma sollemni tollere illam imminutionem libertatis in usu iurium quam paragraphus prima statuit; quare exemptio, ad normam canonis 19 late esset interpretanda. Sed respondetur illud comma esse exceptionem a lege; quare vi eiusdem canonis stricte est interpretandum. Et revera prima pars paragraphi primae principium generale obligationis pro omnibus *in Ecclesia baptizatis* statuit; quare libertas eorum qui non sunt in catholica Ec-

---

[7] Can. 1099, § 1. Ad statutam superius formam servandam tenentur: 1° Omnes in catholica Ecclesia baptizati ... - § 2. Firmo autem praescripto § 1, n. 1, acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahant, nullibi tenentur ad catholicam matrimonii formam servandam; item ab acatholicis nati, etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint.

clesia baptizari (primum comma paragraphi secundae) exceptionem non condit. E contra exemptio quae in secundo commate paragraphi secundae statuitur directe detrahit principio generali in paragr. prima statuto; agitur enim de filiis *in Ecclesia* baptizatis. Quare stricta interpretatio omnino videtur adhibenda, i. e. illa quae exemptionem restringit, non quae illam extendit.

12. Exemptio supponit haec facta: 1° *nativitatem ab acatholicis*. Et sufficit, ut vidimus, alterutrum parentum fuisse, tempore nativitatis filii, acatholicum;

Casus: Titius natus est e patre catholico, matre catholica et in Ecclesia catholica baptizatus est. Cum esset duorum annorum, parentes eius a fide recesserunt et Titius in haeresi educatus est et adolevit. Lege de forma tenetur, nam non est ab acatholicis natus. Quis tamen non videt eum, si *rationem legis* consideras, omnino versari in eadem conditione atque ille qui a parentibus acatholicis natus est? Quare ipse Cardinalis Gasparri insinuabat fore opportunum illis filiis a catholicis natis, sed in haeresi educatis exemptionem restituere quam ipsis Benedictus XIV concesserat (*De matrimonio*, ed. 3ª, n. 1029, in nota). Nam. ubi eadem est ratio, eadem debet esse et legis dispositio. Sed id exigeret interventum Summi Pontificis; cum eius interventus matrimonia iam contracta non afficeret et de futuro iam omnis difficultas sublata sit, iam sine obiecto esset.

13. 2° *baptismi in Ecclesia receptionem*. Iam satis concordant scriptores quid sit: baptizari in Ecclesia catholica (verbum iuridicum quod aliquos theologos satis vexat, cum omnis baptismus in solam Ecclesiam veram inserat).

14. 3° *ab infantili aetate in haeresi ... adolevisse*.

a) quid est: infantilis aetas? Quaestio posita ab Episc. Harlemen. dicebat: « a pueritia nondum septennali ». Codex dicit: « Impubes, ante plenum septennium, dicitur infans seu puer vel parvulus et censetur non sui compos » (c. 88, § 3). Quare responderi possit: infantilis

aetas est illa usque ad septem annos. Quid autem si puer a quinto aetatis anno usum rationis clare demonstrat?

Casus: Titius ab acatholico patre, matre catholica natus in Ecclesia baptizatus est. Parvulum mater preces docuit, secum ad ecclesiam dominicis diebus duxit; immo cum sex annorum esset, ipse sacram communionem recepit. Sed ante eius septimum aetatis annum, matre mortua, a patre in haeresi iam educatus est a qua Titius usque ad matrimonium numquam recessit. Potestne dici ab infantili aetate in haeresi adolevisse?

15. *b*) quandonam dicendus est filius *adolevisse* in haeresi, etc.

Ut quis adultus dicatur, non sufficit ut sit pubes. Videtur aliquis adultus dici non debere antequam formatio corporalis et intellectualis sit satis completa. Certe « adolescens » (ergo non adultus) dicitur iuvenis 16 vel 17 annorum.

Casus: Titius ab acatholicis natus et in Ecclesia baptizatus usque ad aetatem 16 annorum in haeresi crevit. Tunc sub influxu amici ecclesiam frequentavit, missae astitit, sermones audivit. Post annum circiter, amico in aliam urbem profecto, Titius brevi omnem contactum cum Ecclesia cessavit. An in haeresi « ab infantili aetate... *adolevit* »?

16. *c*) « in haeresi, schismate, etc. adolevit ».

Quinam actus religionis catholicae dici debent interrumpere illam haereticam (areligiosam) educationem, ita ut conditio canonis iam non exsistat? Respondendum videtur actus qui adhaesionem religioni catholicae demonstrant. Aliud est enim sermones audire ut amico morem geras et sermones propria voluntate audire ut in religione instruaris; missam frequentare ut cum sociis remaneas et missam tamquam proprium cultus actum audire. Receptio sacramentorum tamquam adhaesio personalis facile consideratur. Tandem interdum e natura actuum et manifestatam

intentionem concludes interruptam esse educationem in haeresi, etc.

Notandum est canonem educationem catholicam non exigere; illi tantum actus adesse debent qui non permittant ut dicatur: « ab infantili aetate in haeresi ... adolevisse », i. e. per totum illud tempus, *sine interruptione*, in haeresi, etc. institutum esse vel vixisse.

17. Ex his et similibus casibus patet curnam Sua Sanctitas declaret exemptionem statutam in altero commate par. 2 canonis 1099 in solutione casuum saepe saepius difficultates multiplicasse. Sed propter easdem causas suppressio illius exemptionis bono animarum emolumento erit. Sane aliquot acatholici in materiali concubinatu vivent. Sed iam vidimus non ita raro matrimonium ob aliud impedmentum irritum esse; quare suppressio exemptionis eorum conditionem non mutabit. Ex alia parte, si convertantur, fere semper nullitas matrimonii ipsos multum iuvabit, cum possint alias nuptias inire quae sit indissolubilis et sacramenti gratiam ipsis conferat vel matrimonium nulliter initum convalidare.

* * *

18. Summus Pontifex hac occasione in memoriam revocat praescripta canonum 750 et 751 de baptismo filiorum infidelium vel acatholicorum. Extra mortis periculum illi baptizari non debent nisi eorum catholicae educationi cautum sit et saltem unus e parentibus vel tutoribus consentiat. Disciplina Motu proprio inducta missionarios, parochos et omnes qui baptismum urgentiae sic administraverint excitare debet ut illius baptismi, quantum fieri potest, sedulo testimonium scriptum servent ut, si casus fuerit, postea demonstrari possit.

I. Creusen S. I.

33 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* XL [27 sept. 1948] p. 395).

Constitutio Apostolica

DE CONGREGATIONIBUS MARIANIS

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Bis saeculari die auspicato vertente, ex quo Marianas Congregationes a Gregorio XIII perpetuo erectas atque institutas [1] Benedictus XIV Aurea Bulla « Gloriosae Dominae » novis beneficiis solidavit, apostolici Nostri muneris ducimus non modo earumdem Sodalitatum moderatoribus sociisque paterne gratulari, verum etiam privilegia gratiasque amplissimas, quibus, quattuor ferme saeculorum decursu, plures Decessores Nostri [2] Nosque ipsi, ob tot tantaque in Ecclesiam promerita, huiusmodi Sodalitia ditavimus, rata ac sollemniter confirmata declarare.

Probe enim novimus, non solum quanta anteactis temporibus, ut Benedicti XIV verbis in memorata Bulla Aurea utamur, « ex hoc laudabili et pio instituto in omnium ordi-

---

[1] Bulla *Omnipotentis Dei,* 5 Dec. 1584.

[2] XYSTUS V, Bulla *Superna dispositione,* 5 Ian. 1587; Bulla *Romanum decet,* 29 Septembris 1587. — CLEMENS VIII, Breve *Cum sicut Nobis,* 30 Aug. 1602. — GREGORIUS XV, Bulla *Alias pro parte,* 15 April. 1621. — BENEDICTUS XIV, Breve *Praeclaris Romanorum Pontificum,* 24 April. 1748; Bulla Aurea *Gloriosae Dominae,* 27 Sept. 1748; Breve *Quemadmodum Presbyteri,* 15 Iul. 1749; Breve *Quo Tibi,* 8 Sept. 1751; Breve *Laudabile Romanorum,* 15 Febr. 1758. — CLEMENS XIII, Bulla *Apostolicum,* 7 Ian. 1765. — PIUS VI, Decreta 2 Maii 1775, 9 Dec. 1775, 20 Mart. 1776. — LEO XII, Breve *Cum multa,* 17 Maii 1824. — PIUS IX, Decretum 8 Iul. 1848; Breve *Exponendum,* 10 Febr. 1863. — LEO XIII, Breve *Frugiferas,* 27 Maii 1884; Breve *Nihil adeo,* 8 Ian. 1886. — PIUS X, Decreta 10 Maii 1910 ac 21 Iul. 1910. — BENEDICTUS XV, Alloc. 19 Dec. 1915, in quadragesimo anniversario in Sodalitatem cooptationis. — PIUS XI, *Praesertim,* Alloc. 30 Mart. 1930; Alloc. 29 Aug. 1935.

num homines utilitas derivata fuerit »[3], sed quanto studio animique contentione hodie phalanges hae mariales, gloriosis maiorum vestigiis insistentes suisque legibus religiose obsequentes, primas sibi appetant, ecclesiastica Hierarchia auspice et duce, in laboribus ad maiorem Dei gloriam animarumque bonum suscipiendis constanterque perferendis, adeo ut in re catholica propugnanda, provehenda, vindicanda, tamquam validissimae copiae viresque spiritales sint habendae[4]. Idque pluribus de causis.

Etenim Marialium Sodalitatum historiam memoria repetenti, etsi eas semper instructissimis agminibus floruisse apparet, non tamen easdem, sociorum numero cum recentioribus comparari posse fatendum est, quamvis utique fervore operum; nam cum saeculis anteactis novorum quotannis coetuum ad *Primam Primariam* accessiones denarium numerum numquam excederent, ab inito saeculo XX annuae id genus aggregationes facile ad decies centenas computantur.

Verum, quod caput est, multo pluris quam sodalitiorum numerus normae sunt habendae legesque, quibus sodales manu veluti ducuntur ad eam spiritalis vitae excellentiam[5], qua ipsa sanctimoniae culmina valeant conscendere[6], illorum maxime instrumentorum ope, quibus perfecti absolutique Christi asseclae instruantur perutile est: Spiritualium Exercitiorum[7] et cotidianae rerum divinarum commentationis conscientiaeque disquisitionis usu[8]; Sacramentorum frequentia[9]; necessitudine ac docilitate, filii instar, erga certum animae moderatorem[10]; sui plenissima perennique in B. Virginis Deiparae clientelam deditio-

---

[3] BENEDICTI XIV, Bulla Aurea *Gloriosae Dominae*, 27 Sept. 1748.
[4] PII XII, *Epist. ad. Card. Leme*, 21 Ian. 1942.
[5] Cfr. *Reg. Comm.*, 1, 33.
[6] Cfr. *Reg. Comm.*, 12.
[7] Cfr. *Reg. Comm.*, 9.
[8] Cfr. *Reg. Comm.*, 34.
[9] Cfr. *Reg. Comm.*, 37, 38, 39.
[10] Cfr. *Reg. Comm.*, 36.

ne [11]; firma denique sponsione suae aliorumque christianae perfectionis comparandae [12].

Quae quidem omnia nata sunt in Marianis Sodalibus illas divinae caritatis flammas excitare eamque vitam interiorem alere ac roborare, maxime hac nostra aetate necessariam, cum, ut alibi dolentes monuimus, tot hominum turmae « animi ieiunitate intimaque egestate spiritus » laborent [13].

Atque haec non tantum sapientissimis legibus describi sed in cotidianam Sodalitatum Marialium vitam feliciter deduci exinde luculenter conficitur, quod ubicumque eae coaluerint, si modo instituta sua legesque sancte servaverint, ibidem morum passim innocentia et religionis observantia firmissima vigeat floreatque; quin etiam, divino afflante Numine, sodalium manipuli prodeant frequentes christianae perfectioni inhiantium, sive in ecclesiastico ordine, sive in sacris septis sibi conquirendae cum aliis communicandae; neque adeo rari sint qui ipsa sanctitatis ardua fastigia securo volatu contingant [14]. Ex quo ferventi vitae interioris studio sua quasi sponte illa plena sodalium apostolica institutio efflorescit novis semper variisque humanae consortionis necessitatibus adiunctisque accommodata, ut asserere minime ambigamus perfectum virum catholicum, qualem Sodalitas Mariana iam inde ab exordiis effingere consuevit, non minus congrue praeteritorum temporum necessitatibus convenire quam nostrorum, cum videlicet viris vita christiana solide instructis magis fortasse, quam olim, opus sit [15].

Quapropter ex hac Petri sede, veluti ex eminentissima universi orbis specula, tot christifidelium mirum ubique gentium studium religionis tuendae, vindicandae, pro-

---

11 Cfr. *Reg. Comm.*, 27, 1, 40, 43.

12 Cfr. *Reg. Comm.*, 1am.

13 Pii XII, Litterae Encyclicae *Summi Pontificatus*, 20 Oct. 1939: *A. A. S.*, 31, p. 415.

14 Pii XII, *Alloc. ad Sod. Mar.*, 21 Ian. 1945.

15 Pii XII, *Alloc. ad Sod. Mar.*, 21 Ian. 1945.

vehendae conspicientes, peculiari laude dignas Marialium Sodalitatum copias existimamus, quae inde ab origine tamquam sibi proprium legibusque suis apprime consonum [16] opera apostolica quaecumque ab Ecclesia Matre commendata [17] sacrisque Pastoribus ducibus [18], cum viritim tum coniunctim suscipienda proposuere. Cui quidem muneri officioque quam bene satisfecerint quibusque religionis laetissimis incrementis, Romanorum Pontificum iterata praeconia disertissime declarant [19]. Atque hac praesenti aetate tot calamitatibus exagitata, iucundissimo Nobis solacio est marianos sodales in quavis mundi plaga animo contemplari in omne genus apostolatus vires strenue efficaciterque intendere, sive in hominibus cuiuslibet ordinis, adulescentibus praesertim atque artificibus, per Spiritualia Exercitia ad virtutem erigendis potiorisque christianae vitae desiderio incedendis, sive indigentium animi corporisque angustiis sublevandis, idque non solum privata quadam industria ac benevolae mentis propensione, sed etiam legibus in publicis Reipublicae consiliis atque ex ipso supremae potestatis vertice promovendis, evangelicis principiis ac sociali iustitiae congruentibus [20].

Neque silentio praetereundae sunt illae a Marianis Sodalitatibus excitatae vel sua opera corroboratae consociationes turpibus ludis scenicis ac cinematographicis spectaculis coercendis bonisque moribus a prava librorum atque ephemeridum colluvie tutandis, scholae frequentissi-

---

[16] Pii XII, *Alloc. ad Sod. Mar.*, 30 Mart. 1930.

[17] Cfr. Pii XII, *Epist. ad P. D. Lord*, 24 Ian. 1948.

[18] Cfr. Pii XII, *Epist. ad Card. Leme*, 21 Ian. 1942.

[19] Cfr. *Reg. Comm.*, 1, 12, 43. — Benedicti XIV, Bullam Auream *Gloriosae Dominae*, 27 Sept. 1748. — Benedicti XV, *Alloc. ad Sod. Mar.*, 19 Dec. 1915. — Pii XI, *Epist. ad Adm. Apost. Oenip.*, 2 Aug. 1927; *Epist. ad Congr. Mar. Germaniae*, 8 Sept. 1928. — Pii XII, Epist. Apost. *Nosti profecto*, 6 Iul. 1940; *Alloc. ad A. C. Ital.*, 4 Sept. 1940; *Epist. ad Card. Leme*, 21 Ian. 1942; *Epist. ad P. S Ilundain*, 26 Aug. 1946; *Alloc. radioph. ad Congressum Barcin.*, 7 Dec. 1947.

[20] Cfr. Pii XII, *Epist. ad P. D. Lord*, 24 Ian. 1948; *Alloc. ad Sod. Mar. ex « Conférence Olivaint »*, 27 Mart. 1948.

mae pueris adultisque tenuioris fortunae gratuito apertae, technica instituta opificibus in propria cuiusque arte uberius instruendis[21], ea praesertim variarum professionum ac disciplinarum partibus seu generibus potiore peritia perdiscendis[22]; quae apostolatus forma, hodiernis temporum condicionibus tam necessaria, a plurimis Marianis Sodalitatibus, iis potissimum quas « interparoeciales » vocant excolitur in coetuum commodum artibus vel disciplinis magis inter se congruentibus cohaerentium[23].

Multa haec quidem reique catholicae apprime utilia. Qua in re, Marianis Sodalitatibus illa etiam laus est tribuenda, quod semper, proximis praesertim temporibus, ex animo optaverint cum ceteris catholicis consociationibus fraterne conspirare, quo uberiores fructus, viribus unitis atque Episcopis auctoribus et ducibus, ex laboribus coniunctim exanclatis pro Christi regno perciperentur; quin etiam ut alias de Catholica Italorum Actione notavimus[24], primi huius generis coetus nonnullis in nationibus constituti sunt a sodalibus marianis, quibus deinde alii et alii succedentes suamque operam fervide conferentes, marianos sodales merito in praecipuis Actionis Catholicae fautoribus esse habendos re ipsa demonstrarunt.

Praeterea, cum vis tota catholicorum in unam veluti aciem ordinatam coalescentium in sacrorum Pastorum potestati obtemperatione reponenda sit, quis non videat quam opportuna apostolatus instrumenta Sodalitates Marianae censeantur, ob earumdem absolutum fervidumque, non solum erga hanc Apostolicam Sedem obsequium quae totius est ecclesiastici ordinis caput et fundamentum[25], sed etiam, pro sua quaeque indole ac facultate, erga Ordinariorum

---

21 Cfr. Pii XII, *Epist. ad P. D. Lord*, 24 Ian. 1948.
22 Cfr. Pii XII, *Alloc. ad Sod. Mar.*, 21 Ian. 1945.
23 Cfr. Pii XII, *Alloc. ad Sod. Mar.*, 21 Ian. 1945.
24 Cfr. Pii XII, *Alloc. ad Sod. Mar.*, 21 Ian. 1945.
25 Cfr. *Conc. Vat.*, Sess. IV, Const. I « De Ecclesia Christi ».

mandata et consilia humili submissione docilique oboedientia? [26].

Qui enim huiusmodi Sodalitatum intimum perspexerit regimen, facile idem cernerit, alias ab Episcopis et Parochis, alias, ex privilegio, a Nobismetipsis ac, delegatione a Nobis accepta, a Praeposito Generali Societatis Iesu regi; universas tamen in apostolicis laboribus assumendis et prosequendis sui proprii Episcopi vel etiam interdum Parochi potestati subici. Quapropter, cum et ab Ecclesiastica Hierarchia inter apostolicae militiae copias excipiantur ab eaque in operibus adoriendis et perficiendis plane pendeant, iure meritoque, ut quondam notavimus [27], hierarchici apostolatus cooperatrices sunt dicendae. Quae quidem veluti congenita in marianis sodalibus « reverentia modestaque in sacros Pastores observantia » ex ipsis eorum legibus hauriatur necesse est, quibus sollemne sit quaecumque Catholica Ecclesia doceat vita moribusque absolute profiteri, « laudando quod illa laudat, reprobando quod illa reprobat, eique in omni re consentiendo, neque umquam erubescendo publice privatim se gerere, quemadmodum tantae Matris filium decet fidelem atque observantissimum » [28].

Cui arctae catholicorum hominum veluti militari unitati minime illud officit, quod id genus sodalitates, ab ignatiana familia primitus excitatae, eiusdem quasi surculi adiectionesve videantur, praesertim cum earum pars, exigua illa tamen, a Societatis Iesu sacerdotibus ex Nostra, ut diximus, delegatione dirigatur. Quin potius cum ex ea prima institutione Marianae Sodalitates sibi leges « ad sentiendum cum Ecclesia » tamquam tesseram proposuerint, eorum nempe dictis parendi, quos « Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei » (*Act.* 20, 28), nativam quamdam proclivitatem videntur exhausisse; qua fit

---

[26] Cfr. Pii XII, *Epist. ad Card. Leme*, 21 Ian. 1942.

[27] Pii XII, *Alloc. ad A. C. Ital.*, 4 Sept. 1940: *A. A. S.*, 32, p. 369.

[28] Cfr. *Reg. Comm.*, 33.

ut iisdem validissimo subsidio in Christi regno dilatando et fuerint et sint futurae. Quod autem non privatae cuilibet causae, at communi Ecclesiae utilitati semper studuerint, testis omni exceptione maior adstat agmen illud fulgidissimum sodalium marianorum, quibus Ecclesia Mater supremos Coelitum honores tribuendos decrevit, quorum gloria non una Societas Iesu illustratur, at clerus ipse saecularis religiosaeque familiae non paucae, cum ex Marianis Congregationibus decem alumni prodierint novorum vel Ordinum vel Congregationum Conditores parentesque.

Ex his nitide igitur evincitur Marianas Sodalitates, ut earumdem leges ab Ecclesia approbatae alte edicunt, consociationes esse apostolico spiritu imbutas [29] quae cum asseclas suos ad ipsos sanctitatis vertices interdum evectos [30] incitent ad perfectam ceterorum etiam christianae vitae formam salutemque sempiternam, sacris Pastoribus praesidibus [31], procurandam, atque ad Ecclesiae iura tutanda [32], illud etiam assequuntur ut Virginis Deiparae impigri praecones regnique Christi propagatores instructissimi comparentur [33].

Quae cum ita sint, Marianis Congregationibus, sive earum leges considerentur, sive natura, propositum, molimina atque acta, notarum nulla, quibus Actio Catholica insignitur, est deneganda, quandoquidem haec, ut totiens Decessor Noster f. r. Pius XI professus est, rite definiatur: « christifidelium apostolatus, qui suam Ecclesiae operam conferunt eiusque pastorali muneri complendo quodammodo auxiliantur » [34].

Quominus autem Congregationes Marianae pleno iure dici possint « Actio Catholica B. M. Virgine auspice et af-

---

29 Cfr. *Reg. Comm.*, 1, 43.
30 *Reg. Comm.*, 12.
31 *Reg. Comm.* 33.
32 *Reg. Comm.*, 1.
33 *Reg. Comm.*, 43.
34 Pii XI, *Epist. ad Card. van Roey*, 15 Aug. 1928; *A. A. S.*, 02, p. 296; *Epist. ad Card. Segura*, 6 Nov. 1929: *A. A. S.*, 21, p. 665.

flante suscepta »[35], nullo impedimento sunt earum conformatio notaeque peculiares; quae potius, ut fuerunt, ita « sunt eruntque illustrioris catholicae animorum institutionis tutela ac praesidia »[36]. Etenim, ut saepius ab hac Apostolica Sede edictum est, « Actio Catholica non in orbe clauso versatur »[37] tamquam quibusdam rigide definitis circumscripta limitibus non violandis, neque ita, « quod habet sibi propositum, peculiari via ac ratione assequi contendit »[38] ut ceteras actuosas catholicorum consociationes vel de medio tollat vel absorbeat, quas potius sui muneris ducat oportet « coagmentare, amice componere, uniusque incrementa in aliarum commodum derivare, plena cum animorum concordia, unione, caritate »[39]. Nam, ut nuperrime monuimus, « in hoc eximio apostolatus fervore, Nobis probatissimo, nonnullorum error est praecavendus, qui quaecumque in animorum bonum suscipiuntur, ad unam veluti formam redigere cupiunt »[40]; cum haec agendi ratio penitus ab Ecclesiae mente discrepare dicenda sit[41], quae quidem nedum id genus « ultro egerminantis florentisque vitae coarctationem » probet[42], qua quaevis apostolica opera uni cuidam consociationi unive paroeciae concredantur; quin potius multiformi unitati[43] favet in eiusmodi operibus gerendis, per fraternam utique conspirationem, Episcopis moderatoribus, in unam metam viribus unitis dirigendis[44]. Atque hanc « concordem consen-

---

[35] Cardinalis Pacelli, *Alloc. ad Sod. Mar. in Menzingen* (Helvetia), 22 Oct. 1938.

[36] Pii XI, *Alloc. ad Sod. Mar.*, 30 Mart. 1930.

[37] Pii XI, Epist. Encycl. *Firmissimam constantiam*, ad Episcopos Mexicanos, 28 Martii 1937: *A. A. S.*, 29, p. 210.

[38] Pii XI, Epist. *Quae Nobis* ad Card. Bertram, 13 Nov. 1928: *A. A. S.*, p. 386.

[39] Pii XI, *Alloc. ad Act. Cath. Galliae*, 20 Maii 1931.

[40] Pii XII, *Alloc. radioph. ad Congressum Barcin.*, 7 Dec. 1947: *A. A. S.*, 39, p. 364.

[41] Pii XI, *Alloc. ad Act. Cath. Ital.*, 28 Iun. 1930.

[42] Pii XI, Epist. *Quamvis Nostra* ad Episc. Brasiliae, 27 Oct. 1935: *A. A. S.*, p. 160.

[43] Pii XI, *Alloc. ad Sod. Mar.*, 30 Mart. 1930.

[44] Cfr. Pii XII, *Epist. ad S. Ilundain*, 26 Aug. 1946.

sionem, ordinatam colligationem mutuamque intellegentiam, quam saepe saepius commendavimus »[45], id genus consociationes eo facilius nanciscentur, quo altius, de primis partibus controversia qualibet amandata[46], « caritate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes »[47] unamque Dei gloriam spirantes, tum sibi persuadeant se ceteris potiores futuras, cum primas eisdem didicerint deferre[48].

His itaque omnibus attente perpensis, vehementissime optantes ut hae pietatis actuosaeque christianae vitae palaestrae magis magisque in dies vigeant ac roborentur[49], apostolica Nostra auctoritate nonnulla capita enucleate indicamus sodalibus marianis ubique terrarum communia atque ab omnibus, quorum interest, religiose servanda.

I. Congregationes Marianae, Sodalitati *Primae Primariae* Collegii Romani rite aggregatae, sunt consociationes religiosae ab ipsa Ecclesia erectae ac constitutae[50] atque ab ea, ad mandata sibi concredita aptius conficienda, amplissimis privilegiis cumulatae[51].

II. Legitima Congregatio Mariana ea tantum est habenda quae ab Ordinario competente sit erecta, videlicet, in locis propriis Societatis Iesu aut eius curae commissis, a Praeposito Generali[52]; in ceteris vero quibuslibet ab Episcopo loci, vel, de eius consensu formali, a praedicto Praeposito Generali[53]. Ut autem Congregatio sic erecta privilegiis et indulgentiis, *Primae Primariae* Sodalitati concessis, frui valeat, necesse est ut huic rite sit aggregata[54].

---

45 Pii XI, Epist. *Quamvis Nostra ad Episc. Brasiliae* 27 Oct. 1935: *A. A. S.*, 28, p. 163.

46 Cfr. Mc., 9, 33.

47 *Rom.*, 12, 10.

48 Cfr. Mt., 20, 26-27.

49 Pii XII, *Epist. ad Card. Leme,* 21 Ian. 1942.

50 Cfr. Bullam Gregorii XIII, *Omnipotentis Dei,* 5 Dec. 1584.

51 Cfr. *Pontificia documenta supra recensita,* notis (1) et (2).

52 Sixti V, Bull. *Romanum decet,* 20 Sept. 1587.

53 S. Congr. Indulg., decr. 23 Iun. 1885.

54 Cfr. *C. I. C.*, 686; Bullam Auream *Gloriosae Dominae,* 27 Sept. 1748; Decretum Leonis XII, 17 Maii 1824; Decretum S. Congr. Indulg., 23 Iun. 1885.

Haec tamen aggregatio, quae de consensu Ordinarii loci est impetranda, quaeque uni Praeposito Generali Societatis Iesu competit [55], nullum ius huic Primae Primariae vel Societati Iesu in eam Sodalitatem confert [56].

III. Congregationes Marianae, quippe quae hodiernis Ecclesiae necessitatibus plene congruere sint dicendae [57], debent ex Summorum Pontificum voluntate suas leges indolem, institutionem intactas servare [58].

IV. Regulae Communes, quarum observantia, in substantialibus saltem, ad aggregationem impetrandam necessaria est [59], omnibus Congregationibus enixe commendantur, tamquam disciplinae antiquitus sodalibus usitatae constantique usu receptae summarium ac documentum [60].

V. Omnes Congregationes Marianae, modis accidentaliter diversis at substantialiter iisdem, non secus atque alii coetus apostolicis operibus dediti ab Ecclesiastica Hierarchia dependent [61].

VI. Ne in Dei regno propagando religionisque iuribus tutandis christianae militiae ordines dissipentur viresque enerventur, mariani sodales, maiorum vestigiis ipsique ho-

---

[55] Cfr. Rescript. S. Congr. Indulg., 17 Sept. 1887; *C. I. C.*, 723; *Reg. Comm.*, 2.

[56] Cfr. *C. I. C.*, 722 § 2; Declarat. A. R. P. Ludovici Martin, Praep. Generalis S. I., 13 April. 1904.

[57] Cfr. praesertim: Pii XII, *Alloc. ad Sod. Mar.*, 21 Ian. 1945; *Epist. ad P. S. Ilundain*, 26 Aug. 1946; *Epist. ad P. D. Lord*, 24 Ian. 1948.

[58] Cfr. praesertim: Pii XI, *Alloc. ad Sod. Mar.*, 30 Mart. 1930; *Alloc. ad Sod. Primae Primariae*, 24 Mart. 1935. — Pii XII, *Telegr. ad Conv. CC. MM. Italiae*, 12 Sept. 1947; *Alloc. radioph. ad Congr. Barcin.*, 7 Dec. 1947; *Epist. ad P. D. Lord*, 24 Ian. 1948.

[59] Cfr. Decretum S. Congr. Indulg., 7 Mart. 1825; Decretum S. Congr. Indulg., 23 Iunii 1885; Rescript. S. Congr. Indulg., 17 Sept. 1887.

[60] Cfr. Pii XII, *Alloc. ad Sod. Mar.*, 21 Ian. 1945; *Epist. ad P. D.Lord*, 24 Ian. 1948.

[61] Cfr. *Conc. Vat.*, Sess. IV, Const. « de Ecclesia Christi », cap. 3; *C. I. C.*, 218 § 2; Pii XII, *Alloc. ad Act. Cath. Ital.*, 4 Sept. 1940: *A. A. S.*, 32, p. 369; *Epist. ad Card. Leme*, 21 Ian. 1942; *Alloc. ad Congressum Barcin.*, 7 Dec. 1937: *A. A. S.*, 39, p. 634.

diernae agendi rationi fideliter insistentes, in apostolicis operibus suscipiendis et prosequendis, meminerint:

a) loci Ordinarium

1) potestatem ad normam sacrorum canonum, firmisque semper Sedis Apostolicae praescriptis et documentis, habere in omnes prorsus suae ditionis Sodalitates circa externi apostolatus exercitium;

2) potestatem habere in Sodalitates extra Societatis Iesu septa constitutas, eisque proinde normas proprias dare posse, firma tamen Regularum Communium substantia [62].

b) Parochum

1) Praesidem natum Congregationum paroecialium esse, quas igitur ut ceteras sui territorii consociationes moderatur;

2) in omnes autem Sodalitates opera apostolica in suo territorio exercentes illa potestate frui a sacris canonibus legitimisque statutis dioecesanis eidem concessa ad rectam externi apostolatus ordinationem [63].

VII. Cuiuslibet Sodalitatis Marianae moderator legitime renunciatus, qui quidem semper sacerdotali dignitate insignitus sit oportet, quamquam legitimis Superioribus ecclesiasticis omnino subicitur, tamen, ad normam Regularum Communium, in ipsa Congregationis vita interna plena fruitur potestate, quam plerumque per sodales sibi muneris adiutores adscitos exercere convenit [64].

VIII. Huiusmodi Sodalitates dicendae sunt Marianae, non tantum quod a B. V. Maria titulum assumant [65], sed quod potissimum sodales singuli erga Deiparam pietatem

---

62 Cfr. *C. I. C.*, 334 § 1, 335 § 1; *Statuta Generalia CC. MM.*, 31 Aug. 1885, II, 5.

63 Cfr. *C. I. C.*, 464 § 1; *Declarat. A. R. P. Ludovici Martin*, 13 April. 1904.

64 Cfr. Benedicti XIV, Bullam Auream *Gloriosae Dominae*, 27 Sept. 1748; Breve *Laudabile Romanorum*, 15 Febr. 1758; *Statuta Generalia*, 31 Aug. 1885; *Reg. Comm.*, 16, 18, 50.

65 Cfr. *Reg. Comm.*, 3; Bull. Aur. *Gloriosae Dominae*.

singularem profiteantur [66] eique plena consecratione devinciantur [67], qua spondeant, licet non sub peccato [68], se omni ope pro sua aliorumque christiana perfectione ac salute sempiterna sub B. M. Virginis vexillo pugnaturos [69]; qua quidem consecratione perpetuo sodalis B. M. Virgini obligatur, nisi indignus dimittatur aut animi levitate ipsemet Sodalitatem deserat [70].

IX. In sodalibus conscribendis ii sedulo deligantur [71] qui vulgari ac trito vitae genere minime contenti [72] studeant vel arduas « ascensiones in corde suo disponere » (cfr. Ps. 83, 6) [73] secundum asceticas normas ac pietatis exercitia in Regulis proposita [74].

X. Congregationum Marialium proinde est sodales, pro cuiusque condicione, ita instituere, ut possint aequalibus in exemplum christianae vitae atque apostolicae navitatis proponi [75].

XI. Inter primarios Congregationum fines [76] habendus est apostolatus omnimodus, socialis praesertim, pro Christi

---

[66] Cfr. *Reg. Comm.*, 1, 40.

[67] Cfr. *Reg. Comm.*, 27.

[68] Cfr. Pii XII, *Alloc. ad Sod. Mar.*, 21 Ian. 1945; *Reg. Comm.*, 32.

[69] Cfr. Pii XII, *Alloc. ad Sod. Mar.*, 21 Ian. 1945; *Epist. ad P. D. Lord*, 24 Ian. 1948.

[70] Cfr. *Reg. Comm.*, 1, 27, 30.

[71] Cfr. *Reg. Comm.*, 23, 24, 26; Benedicti XV, *Alloc. ad Sod. Mar.*, 19 Dec. 1915. - Pii XI, Encycl. *Ubi arcano*, 23 Dec. 1922: *A. A. S.*, 14, p. 693. - Pii XII *Epist. ad Card. Leme*, 21 Ian. 1942; *Alloc. ad Sod. Mar.*, 21 Ian. 1945; *Epist. ad P. S. Ilundain*, 26 Augusti 1946; *Telegr. ad Conv. CC. MM. Ital.*, 12 Sept. 1947; *Alloc. radioph. ad Congress. Barcin.*, 7 Dec. 1947: *A. A. S.*, 39, p. 634.

[72] Cfr. *Reg. Comm.*, 1, 35.

[73] *Reg. Comm.*, 12.

[74] Cfr. *Reg. Comm.*, 9, 33 ad 45.

[75] Cfr. *Reg. Comm.*, 14, 1, 33, 43; Pii XII, *Alloc. ad Sod. Mar.*, 21 Ian. 1945; *Telegr. ad Conv. CC. MM. Ital.*, 12 Sept. 1947; *Epist. ad P. D. Lord*, 24 Ian. 1948; *Alloc. ad Sod. Mar.*, *ex « Conférence Olivaint »*, 27 Mart. 1948.

[76] Benedicti XIV, Bull. Aur. *Gloriosae Domine*, 27 Sept. 1748. - Benedicti XV, *Alloc. ad Sod. Mar.*, 19 Dec. 1915. - Pii XI, *Epist. ad Adm. Apost. Oenip.*, 2 Aug. 1927. - Pii XII, *Epist. ad Card. Leme*, 21 Ian. 1942; *Epist. ad P. S. Ilundain*, 26 Aug. 1946; *Alloc. radioph. ad Congress. Barcin.*, 7 Dec. 1947: *A. A. S.*, 39 p. 633.

regno propagando Ecclesiaeque iuribus defendendis [77], ab ipsa ecclesiastica Hierarchia eisdem demandatus [78]; ad quam veram plenamque cum apostolatu hierarchico cooperationem praestandam [79] propriae Sodalitatum normae ad huiusmodi cooperationis modos pertinentes nullatenus sunt variandae aut innovandae [80].

XII. Denique, Congregationes Marianae eodem ordine atque ceterae consociationes apostolicum finem prosequentes, sunt censendae [81], sive cum hisce sint foederatae sive cum ipso Actionis Catholicae coetu primario una simul cohaereant. Porro cum Sodalitates cuilibet alii consociationi debeant, sub sacrorum Pastorum ductu et potestate [82] operam suam conferre atque industriam [83], necesse non est singulos sodales alii coetui etiam nomen dare [84].

Haec mandamus, edicimus, decernentes praesentes litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere, illisque, ad quos res pertinet, plenissime suffragari, sicque rite iudicandum ac definiendum esse, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis,

---

[77] *Reg Comm.*, 1; Pii XII, *Alloc. ad Sod. Mar.*, 21 Ian. 1945.

[78] Cfr. *Epist. Card. Pacelli ad Card. Faulhaber*, 3 Sept. 1934; Pii XII Epist. Apost. *Nosti profecto*, 5 Iul. 1940; *Alloc. ad Sod. Mar.*, 21 Ian. 1945; *Epist. ad P. S. Ilundain*, 26 Aug. 1946; *Epist. ad P. D. Lord*, 24 Ian. 1948.

[79] Pii XII, *Alloc. ad Act. Cath. Ital.*, 4 Sept. 1940: *A. A. S.*, 32, p. 369; *Epist. ad Card. Leme*, 21 Ian. 1942; Card. Pacelli, *Alloc. ad Soc. Mar. in Menzingen* (Helvetia), 22 Octobris 1938.

[80] Cfr. Pii XII, *Alloc. radioph. ad Congr. Barcin.*, 7 Dec. 1947: *A. A. S.*, 39, p. 634.

[81] Cfr. Pii XII, *Alloc. ad Act. Cath. Ital.*, 4 Sept. 1940: *A. A. S.*, 32, p. 368; *Telegr. ad Conv. CC. MM. Ital.*, 12 Sept. 1947; *Alloc. radioph. ad Congr. Barcin.*, 7 Dec. 1947: *A. A. S.*, 39, p. 634.

[82] Cfr. inter alia: Pii XII, *Telegr. ad Conv. CC. MM. Ital.*, 12 Sept. 1947; *Epist. ad P. D. Lord.* 24 Ian. 1948; Epist. *During recent years* ad Episc. Indiae, 30 Ian. 1948.

[83] Cfr. praesertim: Pii XI, *Epist. ad Episc. Brasiliae*, 27 Oct. 1935: *A. A. S.*, 28, p. 161; *Alloc. ad Sod. Mar.*, 30 Mart. 1930. - Pii XII, *Alloc. ad Act. Cath. Ital.*, 4 Sept. 1940: *A. A. S.*, 32, p. 369.

[84] Cfr. Pii XII, *Epist. ad P. S. Ilundain*, 26 Aug. 1946.

auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum ex Arce Gandulphi, prope Romam, die XXVII mensis septembris anno MCMXLVIII, bis centesimo a Bulla Aurea « Gloriosae Dominae », Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. XII

Annotationes

Multiplicem scopum sibi praestituit S. Pontifex in hac Constitutione Apostolica, gratulari sc. moderatoribus et sociis Congregationum Marialium, confirmare sollemniter gratias et privilegia ipsis a Sede Apostolica hucusque concessa, et nominatim quaedam determinata puncta distincte proponere communia sodalibus marianis ubique terrarum et ab omnibus, quorum interest, religiose servanda. Id facit S. Pontifex vehementissime permotus desiderio Congregationes Marianas, quas vocat palaestras pietatis actuosaeque vitae christianae, maiore in dies vi roboratas videndi. Paternam hanc sui amoris significationem dedit S. Pontifex recurrente bis saeculari die ex quo Benedictus XIV per auream Bullam « Gloriosae Dominae » multis magnisque gratiis cumulavit Congregationes Marianas a Gregorio XIII per Bullam « Omnipotentis Dei » erectas.

Laudat S. Pontifex Congregationes tum anteacti temporis tum etiam nostrae aetatis ob zelum, ecclesiastica hierarchia duce et auspice, in gloria Dei et animarum salute promovenda. In re catholica defendenda Congregationes Marianae habendae sunt, ait S. Pontifex, ut validissimae copiae viresque spiritales.

Summopere ad hoc conferunt regulae quibus sodales veluti manu ducuntur ad propriam perfectionem assequendam. In iisdem enim quam maxime inculcantur plena atque perennis deditio in servitium B. M. Virginis et assi-

duus usus efficacium mediorum ad sanctificationem animarum inservientium, ut sunt oratio mentalis cotidiana, excussio diligens conscientiae, frequentia sacramentorum et conversatio pervasa fiducia cum certo moderatore spirituali. Huc accedunt, veluti media extraordinaria, exercitia spiritualia quotannis peragenda et recollectio spiritualis singulis mensibus habenda.

Roboratur hac ratione animae vita interior, quae non modo honestatem morum et ardens studium perfectionis propriae obtinendae fovet sed etiam zelum animarum inflammat apostolumque instituit qualem nostrae aetatis necessitates expostulant. Id illustratur a S. Pontifice pluribus operibus apostolicis descriptis, quae sodales mariani ubique terrarum exsequuntur et promovent, sincere quaerentes pari tempore fraterne conspirare cum ceteris consociationibus catholicis apostolica opera prosequentibus et studiose sectantes in hac re, ut par est, mandata et consilia Ordinariorum locorum.

Qua de re iure meritoque annumerat S. Pontifex CC. Marianas inter apostolicae militiae copias. Eas vero cooperatrices esse apostolatus hierarchici patet, ait S. Pontifex, ex eo quod CC. Marianae, tum quae ab Episcopis et parochis directe gubernantur — et eae sane maiorem partem constituunt — tum quae ex privilegio a S. Pontifice ac, delegatione ab Eodem accepta, a Praeposito Generali Societatis Iesu reguntur, a sacra hierarchia plene pendeant in actione apostolica exserenda. Hinc est quod CC. Marianae, prosequitur S. Pontifex, omnibus notis insigniantur quae Actionis Catholicae propriae sunt, cum haec rite definita sit a S. Pontifice Pio XI « christifidelium apostolatus, qui suam Ecclesiae operam conferunt eiusque pastorali muneri complendo quodammodo auxiliantur ».

Itaque proprius agendi modus notaeque peculiares Congregationum Marialium minime impediunt quominus illae pleno iure possint dici Actio Catholica B. M. Virgine auspice et afflante suscepta. Nec enim haec concipienda est, ut

orbis quidam clausus, rigidis circumscripta limitibus cuius sit ita vires suas exercere ut ceteras omnes consociationes catholicas absorbeat. Nihil profecto magis contrarium spiritui Ecclesiae quam contendere ut omnia opera apostolatus ad unam veluti formam externam, coacte impositam, redigantur vel uni cuidam consociationi unive paroeciae concredantur. Unio sane est quaerenda sub ductu Episcoporum per fraternam ad eosdem fines conspirationem; sed nequaquam est confundenda unitas cum quadam frigida uniformitate externa, cum Ecclesia nullo modo intendat varietatem comprescere sponte etiam in campo spirituali germinantem; illa potius quaerenda est unio qua intra venustam varietatem et vires peculiares explicentur et finis communis per fraternam conspirationem obtineatur.

* * *

Post hanc splendidam totius argumenti expositionem proponit S. Pontifex nonnulla particularia puncta magni momenti, quae paucis nunc enucleare iuvat. Declarat in primis quid sit Congregatio Mariana, sc. una ex associationibus de quibus loquitur c. 684; proinde fideles qui Congregationibus Marianis dant sua nomina laude digni sunt.

Cum vero in Ecclesia nulla associatio recognoscatur quae a legitima auctoritate non fuerit erecta vel saltem approbata (c. 686 § 1), videndum est quaenam sit in casu legitima auctoritas ecclesiastica. In locis propriis Societatis Iesu aut eius curae commissis eriget Congregationes Marianas Praepositus Generalis, qui in ceteris locis id solum ex consensu formali Ordinarii loci facere poterit. Quaerendum nunc occurrit quid hic veniat nomine locorum curae Societatis Iesu commissorum. Lucem hac in re afferre potest in primis Bulla « Romanum decet » Sixti V hoc loco citata. Concedimus, ait S. Pontifex, ut « dictae Societatis Praepositus ... in singulis collegiis, domibus seu seminariis vel locis sub directione, gubernio, administratione vel institutione ipsius Societatis Iesu seu illius personarum

exsistentibus vel ab ea dependentibus » valeat Congregationes de novo erigere et instituere illasque « postquam erectae fuerint et etiam alias iam erectas et institutas eidem primariae Congregationi aggregare ».

Haec verba amplissima in se sic interpretanda videntur ut se referant solum ad loca sub directione plena Societatis Iesu exsistentia; ideo censemus non includi in hoc privilegio ecclesias paroeciales recentiore tempore non una in regione curae Societatis Iesu commissas, cum parochus in hoc casu vi praescripti canonis 631 § 1 subsit « immediate omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni Ordinarii loci, non secus ac parochi saeculares, regulari observantia unice excepta ». Haec interpretatio confirmari videtur ex eo quod tempore publicationis Bullae Sixti V Societas Iesu nullas habebat paroecias sibi commissas, saltem in regionibus in quibus hierarchia ecclesiastica erat iam plene constituta. Extra loca vero propria Societatis Iesu vel eius curae commissa possunt erigere Congregationes Marianas, ad normam canonis 686, § 2, 4, Ordinarii locorum, exclusis tamen Vicario Generali solo generali mandato munito et Vicario Capitulari.

Erecta iam Congregatione potest ea Primae Primariae Romanae aggregari ut socii frui valeant privilegiis et indulgentiis huic Sodalitati Romanae concessis; haec aggregatio, gratis semper facienda, nullam secum fert subordinationem ad Sodalitatem Romanam vel ad Praepositum Generalem Societatis Iesu, cui competit unice hanc aggregationem facere (cc. 722 § 2, 723, 5°).

Ad validitatem vero aggregationis Congregationum erectarum in locis non dependentibus a Praeposito Generali Societatis Iesu requiritur consensus Ordinarii loci scriptis datus una cum eius litteris testimonialibus (c. 723, 2°); hic consensus non requiritur cum agitur de aggregandis Congregationibus erectis in locis propriis Societatis Iesu aut eius curae commissis. Dubium quod fortasse subsistere posset circa hanc rem post lecta verba tum praesentis Cons-

titutionis tum canonis 723, eo quod nulla distinctione facta requirant ad validitatem aggregationis consensum Ordinarii loci, plane dissipatur clarissimis verbis Constitutionis « Romanum decet » Sixti V, quibus conceditur Praeposito Generali nulla interposita condicione facultas « aggregandi primariae Congregationi » illas quae erectae fuerint in locis propriis Societatis Iesu. Hoc privilegium, utpote numquam abrogatum, plene etiam nunc subsistit. Id autem prorsus rationi conforme videtur; agitur enim de Congregationibus propria auctoritate a Praeposito Generali erectis et de aggregatione eidem Praeposito exclusive reservata; nulla apparet in his adiunctis necessitas interventus alius auctoritatis ecclesiasticae.

Gregorius XIII et Sixtus V concesserunt Praepositis Generalibus S. I. facultatem erigendi et dirigendi Congregationes in locis ab eodem dependentibus; in praxi vero singulae Congregationes huius generis diriguntur a moderatoribus nominatis a Superioribus provincialibus, ceterae a sacerdotibus designatis ab Ordinariis locorum. Dicitur sane in praesenti Constitutione parochum esse praesidem natum Congregationum paroecialium; id autem sic intelligendum videtur, sc. ut parochus, nisi iusta adsit ratio, personaliter dirigat Congregationes; cum vero Ordinarius loci alium sacerdotem moderatorem nominaverit, parochus qui debet vi muneris invigilare vitae internae et laboribus apostolicis associationum paroecialium, debebit etiam Congregationibus Marialibus ecclesiae suae paroecialis invigilare.

Vult S. Pontifex ut Congregationes Marianae servent suam indolem propriam et leges, quippe quae aptissimae sunt ad viros apostolicos instituendos quales necessitates nostrae aetatis requirunt, etsi Ordinarii locorum habeant potestatem proprias normas dandi Sodalitatibus extra septa Societatis Iesu constitutis, firma semper regularum communium substantia. Hac ratione simul ac conservatur structura essentialis Congregationis Marianae, rite consulitur specialibus adiunctis diversarum regionum. Enixe com-

mendat S. Pontifex observantiam regularum communium quae magno adiunmento sunt, ut diuturna experientia ostendit, ad nobilissimos fines Congregationis Marianae proprios assequendos.

pro innumeris aliis christianis non-catholicis, qui avide unitatem exspectant, qui Christo revera adhaerent et in eius amore vivunt, quique licet a Christi grege separati, attamen ad Ecclesiam - licet saepe inconscie - adspiciunt tamquam ad unicum portum salutis. Orate imprimis pro illis, qui ducis munere funguntur apud christianos non-catholicos, qui tantam responsabilitatem gerunt: etenim ab eorum agendi modo simplices fideles dependent, quippe qui haud raro propriis viribus ad rectam rerum intelligentiam pervenire nequeant. Orate ad Patrem nostrum caelestem, « qui vult ut omnes homines salvi fiant et ad veritatis agnitionem perveniant » (I *Tim.* 2, 4). Orate ad Eum per Iesum Christum, « qui semper vivit ad interpellandum pro nobis » (*Hebr.* 7, 25). Orate ad Eum in uno Spiritu Sancto, qui unum Corpus Christi mysticum vivificat. Orate ut omnes participes fiant verae unitatis, quae non ab hominibus efficitur, sed a Iesu Christo Domino nostro huic mundo fuit data.

Non autem obliviscendum est, dilecti fideles, haud aliter atque orationem requiri exemplum vestrum. Olim vita multorum catholicorum christiano nomine indigna favit defectioni ab Ecclesia. Salutari reformatione « in capite et membris » in Concilio Tridentino peracta, Ecclesia ipsa huic defectioni finem imposuit. Eodem modo nunc reditus ad Ecclesiam prae aliis iuvabitur, si sanctitatem fidei nostrae manifestabimus sanctitate vitae operumque nostrorum.

Quodsi olim catholici in defendenda unitate catholica non semper ducti sunt caritate, ideoque non memores fuere verborum Apostoli: « veritatem facientes in caritate » (*Eph.* 4, 15), et hac de causa non insontes exsistunt alienationis, nos inter exortae ac christianos non-catholicos, id profecto non erat spiritus Matris nostrae, Sanctae Ecclesiae. Ipsa enim semper est ac manet sancta Ecclesia. Sancta manet suo cultu, sacramentis suis, sacrificio suo, et communicatione vitae supernaturalis, quam iisdem imper-

titur. Sancta manet doctrina sua, quae a Deo venit et ad Deum conducit. Sancta manet suis legibus, quae non nisi gloriam Dei et salutem hominum intendunt. Sancta manet, quia omnibus temporibus magnos sanctos edit. Qua sanctitate divinam suam originem continuo demonstrat. Membra autem Ecclesiae semper sunt ac manent homines: in quibus accidere potest ut humana, nonnumquam nimis humana (*Mit brennender Sorge*) in lucem prodeant; haec autem humana, nonnumquam nimis humana, fieri possunt fons scandali atque insuper ratio, cur multi veram Ecclesiae sanctitatem videre non valeant.

Hac de causa etiam hisce temporibus nobis incumbit gravis conscientiae obligatio. Exorto apud multos, qui Christum agnoscunt forti ac manifesto desiderio unitatis, omnino necesse est, ut tota vita nostra spiritu Christi imbuatur; et ut in omni nostra operositate, in qualibet vitae provincia, tandem aliquando nihil aliud quaeramus nisi Christum et extensionem Regni eius. Si umquam, nunc imprimis debemus oboedire mandato Christi: « Luceat lux vestra coram hominінibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est » (*Matth.* 5, 16). Si unquam, hodie sanctitatem Ecclesiae manifestemus oportet propria vita nostra. Concedat Deus, ut omnes hoc suum officium agnoscant; et in eodem adimplendo Spiritus Sanctus, qui Spiritus Christi est, adiuvet infirmitatem nostram » (*Rom.* 8, 26).

Tandem, dilecti fideles, mandamus ut in omnibus ecclesiis ad provinciam ecclesiasticam Neerlandiae pertinentibus et in omnibus sacellis, quibus rector praefectus est, die dominica 29 Augusti mox sequentis, sollemnis vel saltem cantata Missa offeratur, ut a Deo obtineamus participationem omnium cum Ecclesiae unitate. Adhibebitur formula ea, quae in Missali Romano indicatur tamquam Missa votiva ad tollendum schisma. Confidimus fore ut quam intime huic Sacro vos uniamini Sacrificio.

Et haec epistola Nostra pastoralis die Dominica 22

Augusti in omnibus ecclesiis provinciae nostrae ecclesiasticae, omnibusque sacellis, quibus rector praefectus est, modo solito inter omnia Sacra Sacrificia publice indicata, e pulpito praelegetur.

Datum Ultraiecti, die 31 Iulii 1948.

† IOANNES Card. de JONG, Archiepiscopus Ultraiectensis.
† P. A. W. HOPMANS, Episcopus Bredanus.
† Dr. J. J. G. LEMMENS, Episcopus Ruremondensis.
† J. P. HUIBERS, Episcopus Haarlemensis.
† W. P. A. M. MUTSAERTS, Episcopus Buscoducensis.

Annotationes

1. - *De ipsa Epistola Pastorali.*

Lecta est *Epistola* in omnibus ecclesiis sacellisque rectoralibus Neerlandiae die dominica 22 Augusti, id est ea ipsa die, qua inauguratus est Congressus, et iam die sequenti innotuit in pluribus foliis diurnis catholicis. Etiam multae ephemerides acatholicae iam eadem die dedere minora vel maiora compendia. Die 28 Augusti *Epistola* pro maiore parte communicata fuit in foliis servitii preli ecclesiae Neerlandicae Reformatae (Persbureau der Nederl. Hervormde Kerk) IV, n. 38 et die 3 Sept. 1948 integre absque commentario in periodico reformato *In de Waagschaal.* Tandem in fine Congressus *Epistola* in optima versione anglica suppeditabat deputatis eorumque vicegerentibus opera Secretariatus ipsius Congressus. Etiam alibi in ephemeridibus catholicis communicata fuit cum lectoribus, v. g. germanice in Helvetia, et 15-16 Nov. italice in *l'Osservatore Romano.* Epistola cum magna satisfactione accepta fuit, non tantum a catholicis, sed etiam ab non paucis dissidentibus. Sane dolendum est eam in versione bona non citius innotescere potuisse membris Congressus,

linguam Neerlandicam, ut patet, pro maxima parte non callentibus.

2. - *De ipso Congressu Oecumenico.*

Habitus est Congressus Amstelodami diebus 22 Aug.-4 Sept. 1948. Aderant 900 electi e 147 coetibus ecclesiasticis ac 42 nationibus. Ex istis electis 450 *delegati* erant cum pleno iure suffragii, 450 *alternati* cum iure vicesgerendi deficiente delegato, et iure partiali suffragii, vid. in sectionibus vel comitatibus sibi peculiariter reservatis. Praeterea aderant consultores cum iure loquendi tantum, et deputati ab associationibus internationalibus, cum quibus Consilium Oecumenicum relationes fraternas fovet, qui deputati eodem iure gaudebant ac consultores; insuper deputati ab organisationibus iuventutis necnon visitatores accreditati. Omnes praedicti simul fere 1.500 homines constituebant.

Tribus prioribus diebus quattuorque ultimis, conventus generales celebrati sunt; diebus autem septem intermediis ante meridiem facti sunt conventus sectionum, post meridiem comitatuum. Conventus generales priores quodammodo introducebant et delineabant labores perficiendos in sectionibus ac comitatibus; conventus generales posteriores vero publice sanciebant vel etiam emendabant, quod privatim discussum ac statutum erat in sessionibus sectionum comitatuumque. Quo tempore delegati eorumque vicesgerentes laborabant in sessionibus non publicis, conventus alii habebantur associationum iuventutis, alii pro visitatoribus, vid. ut illuminarentur de statu religioso ac de oecumenico labore in variis mundi regionibus. Quodsi abstrahis a nimio labore, quo deputati omnes erant onusti, omnia optimo ordine erant disposita.

Thema generale Congressus erat: *Inordinatio humana et Consilium divinum* (Man's disorder and God's design). Quod propositum studio subiectum fuit in quattuor sectionibus. In sectione prima actum est *de Ecclesia universali*

et Consilio divino. Disputabatur de constitutione Ecclesiae, quatenus a Deo volita, ac multis problematibus annexis, deque habitudine ipsius Consilii Oecumenici ad Ecclesiam Romanam. Altera sectio erat *de Consilio Dei et testimonio Ecclesiae,* seu de praedicatione Evangelii eiusque obstaculis atque difficultatibus tam in regionibus christianis quam in terris missionalibus. In tertia sectione discussio fuit *de Ecclesia et confusione sociali,* nominatim de communismo et capitalismo, quae vox ultima et conceptus qui eidem subest haud paucas procreavit difficultates. Ultima tandem sectio sibi proposuit problema *de Ecclesia et confusione internationali.* Quodsi huiusmodi quaestiones propositae fuissent in Concilio Oecumenico Ecclesiae Catholicae, non dubito quin, non obstante concordia absoluta in iis quae ad fidem spectant atque ad principia generalia, pro extrema diligentia, qua huiusmodi res in Ecclesia Catholica tractari solent, anni spatium ne a longe quidem suppeditasset.

Haec de sectionibus. In comitatibus autem postmeridianis imprimis actum est de organisatione, actione, administratione atque de programmate ipsius Consilii Oecumenici. Sed et de aliis quaestionibus res fuit v. g. de positione mulieris et laici in Ecclesia. Ubi notandum est conceptum « laici » creasse difficultates insuperabiles, ita ut relator cuiusdam ephemeridis magis acuta quam theologica mente proposuerit: « Laicus est id quod quaeque denominatio ecclesiastica sub hac voce intellegit ».

In inchoando et finiendo Congressu habita sunt solemnia religiosa. Item diebus singulis officia dimidiae horae matutina, quibus, quantum fieri potuit, demonstrabantur diversae traditiones ecclesiasticae. Vespere quoque omnes precibus liturgicis (quae in memoriam vocabant *Completas* breviarii Romani), finem imponebant labori sat arduo cotidiano, sive uniti in sessione generali, sive divisi per varias sectiones ac comitatus. Intercommunio autem generalis eucharistica habita non est ob diversitatem tra-

ditionum et disciplinae, item ob doctrinales discrepantias. Fuit tamen praeparatio communis ad Coenam, in qua sermonem habuit theologus reformatus; necnon servitia eucharistica *separata*, nominatim secundum traditionem reformatam, lutheranam, anglicam, orientalem. De hac re in sermone publico die 23 Augusti dixit Carolus Barth, professor theologiae in Universitate Helvetica Basileae: « Adsumus hic in stadio intermedio inter divisionem iam diminuitam et unitatem nondum acquisitam ecclesiarum nostrarum. In hoc stadio intermedio nondum possibile erat celebrare communem caenam eucharisticam. Forsan multum temporis requiretur ut eo usque perveniamus. Hanc divisionem manifestare licuisset *omittendo* omnem caenam eucharisticam. Non autem licebat, hoc demonstrare faciendis caenis separatis. Tuta conscientia hic possumus esse communitas imperfecta in Domino. Sed non attrahit benedictionem et promissiones divinas, si nunc modo manifesto una manu reicimus quod alia manu volumus acceptare ».

3. - *De Consilio Oecumenico.*

Motus oecumenicus originem ducit ex duobus alveis religiosis, uno magis dogmatico, qui maxime innotuit in conferentia Lausannae (1927), alio magis practico, quae imprimis apparuit in conferentia Stockholmiae (1925). Sua quoque contribuerunt conatus collaborationis ecclesiarum in regionibus missionalibus, qui anno 1921 conduxerunt ad constituendum Internationale Consilium Missionum, necnon motus internationalis pro conservanda pace, tandem coordinatio internationalis iuventutis christianae non catholicae. Clarum est, quomodo Lausanna quodammodo continuetur in sectione prima Congressus, Stockholma in tertia, actio missionalis in secunda, motus pro pace in quarta. Cf. H. van der Linde, *De Wereldraad van Kerken*, Nijkerk, 1948 ubi pag. 122 *Stemma oecumenicum.*

Maximi momenti fuerunt duae conferentiae anno 1937

habitae Oxoniae et Edinburgae, quibus alveús dogmaticus Lausannae et alveus pragmaticus Stockholmae quodammodo confluerunt. Fructus harum conferentiarum fuit comitatus quattuordecim virorum, qui convocavit novam conferentiam, anno 1938 habitam Ultraiecti in Neerlandia, ubi elaborata fuit constitutio quaedam provisoria cum programmate actionis, Inde ab Ultraiecto igitur exstitit Consilium Oecumenicum Provisorium. Novo exorto bello mundiali Consilium Provisorium impediebatur quominus strenue proposita exsequeretur, sed iam anno 1946 conventus habitus est Genevae in Helvetia, in quo electi fuerunt quinque praesides provisorii, et via praeparabatur proxima ad Congressum Amstelodamensem. Die autem 23 Augusti 1948 Amstelodami votis omnium, nemine excepto, declaratum fuit primum Congressum Consilii Oecumenici Ecclesiarum reapse constitutum secundum constitutionem, anno 1938 Ultraiecti elaboratam consentientibus ecclesiis, et eo ipso Consilium Oecumenicum ecclesiarum definitive erectum.

Consilium recens creatum non vult haberi ipsa *Una Sancta,* nec etiam Synodus generalis *Unius Sanctae,* sed merum instrumentum generale, quo varii coetus ecclesiastici collaborantes, sese inter se melius cognoscant, sese inter se edoceant ac corrigant, intimius et fraternius invicem uniantur, et communi labore ea aggrediantur quae communem actionem exigant. Reicit igitur Consilium omnem ideam unius constructionis ecclesiasticae, directae ope unius auctoritatis centralis administrativae, et multo magis ideam unius auctoritatis iurisdictionalis vel magisterialis exercendae in singulas denominationes ecclesiasticas. Vera igitur decreta Consilii unice spectant res internas, constitutionem et programma actionis ipsius Consilii. Quod autem ad *Nuntios* spectat quos dirigit Consilium ad eos qui credunt in Christum Deum et Salvatorem, iisdem exprimit, quae in sinu ipsius Consilii vivunt, ut de novo in sinu communitatum christianarum efficacius resonent.

Consilium nunc habet praesidem honoris causa, J. R.

Mott, laicum methodistam, fautorem eximium motus oecumenici; deinde sex praesides dirigentes: Episcopum methodistam G. Bromley Oxnam (New York); Pastorem calvinistam M. Boegner, praesidem foederationis protestanticae Gallicae; Archiepiscopum lutheranum Upsalensem, E. Eidem; Archiepiscopum anglicanum Canterbury, G. Fisher; Archiepiscopum orthodoxum Thyatirae, S. Germanos; anglicanum sinensem, T. C. Chao, qui repraesentat ecclesias iuniores.

Singulis annis habebitur Congressus centum deputatorum; quinto autem quoque anno Congressus generalis cum 450 deputatis. Potestas exsecutiva residet apud Comitatum centum virorum, qui quantum fieri potuit electi fuerunt ratione habita variorum coetuum ecclesiasticorum atque nationum. Secretariatus generalis permanenter residet Genevae in Helvetia. A Consilio Oecumenico dependet quoque Institutum Oecumenicum, erectum munificentia Dom. J. Rockefeller Iun. apud Celigny in Helvetia, ubi studiosi initiantur in variis quaestionibus oecumenicis.

4. - *Pars prima Epistolae Pastoralis.*

In hac priore parte exponitur verbis dilucidis, cur Ecclesia Catholica Congressum participare non possit. Explicatione non indiget. Id solum notandum, agi de participatione *proprie dicta,* qua Ecclesia Catholica mitteret delegatos officiales, ut aequo iure cum delegatis variorum coetuum de rebus religiosis tractarent. Per se loquendo non repugnaret participatio quaedam *late dicta,* qua Ecclesia deputatos officiales mitteret ad meliorem cognitionem causae, et ad illuminandos fratres dissidentes de doctrina catholica. Quod certo non facile fiet. Nam primum multi essent, forsitan etiam inter catholicos, qui non intellegentes distinctionem modo indicatam, scandalizarentur vel in errorem ducerentur; Ecclesia autem hac in re vel speciem debet evitare falsae tolerantiae, cf. mox dicenda de Pio XII. Deinde mittendo huiusmodi delegatos eo ipso Ecclesia da-

ret Congressui novam quandam vim atque auctoritatem, immo ei quodammodo imprimeret notam universalitatis et oecumenicitatis, quae absente Catholica Ecclesia prorsus desideratur. Accedit, quod Ecclesia in tot ac tantis documentis exposuit suam doctrinam, ut iure merito praesumere debeat (praesumptio autem non semper correspondet veritati), eam hominibus excultis, ut sunt membra Congressus, esse omni ex parte notam. Una sola ratio esse videtur qua praesentia Ecclesiae iustificari queat: videlicet si Ecclesiae constiterit, huiusmodi Congressum revera significare passum notabilem ad efficiendam unionem omnium in ipsa Ecclesia Matre, et si universale desiderium reditus ad veram Christi Ecclesiam, seu saltem ad talem reditum proxime praeparandum, clare fuerit manifestatum. A tali autem condicione, nisi Deus precibus nostris motus, modo extraordinario intercedat, longe adhuc videmur abesse. Etenim magis quam antea Amstelodami apparuit confessionalismus qui vocatur, quo singulae ecclesiae firmiter teneant ac defendant suam positionem doctrinalem. Immo in ipso Congressu notatum est, apud quosdam esse spiritum proselytismi.

Licet autem Episcopi Neerlandici ad mentem ipsius Ecclesiae doceant eandem Congressum omnino participare non posse: tamen minime dicunt, sibi Congressum parvi vel nullius interesse. Contra: secus publicas orationes non praescripsissent. Immo, dicunt: « Acta Congressus attento sequemur animo ». Hac de causa mirum non est, Amstellodami adfuisse sacerdotes, qui ex documentis singulis diebus abundanter traditis relatoribus foliorum diurnorum vel periodicorum, ex colloquiisque privatis, acta Congressus sequerentur. Hoc dico ob notitiam malevolam folii Helvetici.

5. - *Pars altera Epistolae Pastoralis.*

In parte altera Episcopi subditos exhortantur ad orationem et ad bonum exemplum. Malum enim exemplum Ca-

tholicorum, aiunt, humana ea ac nonnumquam nimis humana, fieri possunt fons scandali atque insuper ratio, cur multi veram Ecclesiae sanctitatem non videant. Haec iam suo tempore saepius fidelibus inculcavit S. Ioannes Chrysostomus, ut olim demonstravi variis testimoniis illius magni Pastoris et Ecclesiae Doctoris in *Gregorianum* 13 (1932) pp. 337-339. Immo *In Princ. Act.* 4, 4: *MG* 51, 100 aperte dicit: « Magna res est vita ... Visne scire, qui sit splendor vitae, quantum valeat ad persuadendum? Multi haeretici, etiamsi dogmata corrupta habeant, ita invaluere, ut multi homines ex vitae illorum admiratione illorum dogma iam non examinaverint; alii autem qui illos ob dogmata improbabant, ob vitam reveriti sint ... Hoc omnia subvertit, quod nemo ullam vitae rationem habet. Hoc vitam veram pessumdat ». Quodsi nos catholici vitae sanctitate non praeluceamus, revera nutrimus opinionem illam improbandam, nunc eheu inter dissidentes sat sparsam, neque in Ecclesia Catholica, licet ea in multis effulgeat aliasque superet, inveniri plenitudinem Christi! - De peccatoribus in Ecclesia cf. Pii XI *Mit brennender Sorge*: *AAS* 29 (1939) 152 et italice 175; Pii XII, *Mystici Corporis*: 35 (1943) 225.

6. - *Pius Papa XII*: *vox clamantis in deserto*?

Brevius sed eodem spiritu ductus, quo Episcopi Neerlandiae, omnia comprehendit Pius Papa XII in allocutione, die 5 Septembris data ad christifideles, Moguntiae coadunatos in conventu nationali catholicorum Germaniae. In altera parte orationis haec leguntur *AAS* 40 (1948) p. 419:

« Compertum est Nobis, quam vehemens apud multos nationis vestrae filios desiderium exsistat unitatis religiosae. Quis hoc desiderium magis vivide sentire potuerit quam ipse Christi Vicarius? Ecclesia fide a se separatos amplectitur « caritate non ficta » fervidisque precationibus, ut videlicet ad Matrem redeant, a qua permulti, quos Deus solus numerare potest, absque culpa personali sunt segregati. Si Ecclesia inflexibilis restat in omnibus huius-

modi conatibus, etiamsi solummodo speciem prae se ferant compositionis vel conventionis (Kompromiss, Ausgleich) fidei catholicae cum aliis confessionibus, vel etiam commixtionis cum dissidentibus: hoc idcirco facit, quod noverit unam solummodo esse tutam arcem, in qua infallibili certitudine tota veritas custodiatur et plenitudo gratiae, quae nobis a Christo data, semper fuerit semperque futura sit; hanc autem arcem ex voluntate apodictica divini sui Conditoris non esse aliam nisi ipsam Ecclesiam ». Et iam antea scripserat in Encyclica *Mystici Corporis*: *AAS* 35 (1943) p. 242-243: « Hos etiam, qui ad adspectabilem non pertinent Catholicae Ecclesiae compagem, ut profecto nostis, Venerabiles Fratres, inde ab initio Pontificatus, supernae Nos commisimus tutelae supernoque regimini, solemniter adseverantes nihil nobis, Boni Pastoris exemplum sequentibus, magis cordi esse, quam ut vitam habeant et abundantius habeant (Litt. Enc. *Summi Pontificatus*: *AAS* 1939, p. 419). Quam quidem sollemnem adseverationem Nostram per Encyclicas has Litteras, quibus « magni et gloriosi Corporis Christi » laudes praedicavimus, imploratis totius Ecclesiae precibus, iterare cupimus, eos singulos universos amantissimo animo invitantes, ut internis divinae gratiae impulsibus, ultro libenterque concedentes, ab eo statu se eripere studeant, in quo de sempiterna cuiusque propria salute securi esse non possunt: quandoquidem, etiamsi inscio quodam desiderio ac voto ad mysticum Redemptoris Corpus ordinentur, tot tamen tantisque caelestibus muneribus adiumentisque carent, quibus in Catholica solummodo Ecclesia frui licet. Ingrediantur igitur catholicam unitatem et Nobiscum omnes in una Iesu Christi Corporis compagine coniuncti, ad unum Caput in gloriosissimae dilectionis societate concurrant. Numquam intermissis ad Spiritum dilectionis et veritatis precibus, eos Nos elatis apertisque manibus exspectamus, non tamquam alienam, sed propriam paternamque domum adituros ». Sic Pontifex Pius Papa XII: eodem autem omnino spiritu imbutus,

iam olim conscripserat Pius Papa IX, cum die 13 Sept. 1867, ideoque iam ante annos octoginta, litteras suas *Iam vos omnes* dirigeret ad omnes *Protestantes aliosque acatholicos*: *Coll. Lac.* VII pp. 8-10. Nulla igitur ratione dici potest in litteris pastoralibus Episcopatus Neerlandiae, novam quandam cantandi rationem fuisse auditam.

Sunt, eheu! qui hunc piae Matris Ecclesiae spiritum, quae ut Christi sponsa non tantum in amore fraternitatis debet ministrare caritatem, sed etiam ut mulier fortis servare omnia a Christo sibi tradita, ne pro partiuncula quidem agnoscere queant.

In ipso congressu Carolus Barth, theologiae professor in universitate Basileensi, praesente ipsa Regente Iuliana, quae istis diebus loco Reginae Wilhelminae Neerlandiae praeerat, in sessione plenaria diei 23 Augusti haec protulit: « Utinam haec libertas id quoque operetur, ut lamentationes vel indignatio ob repulsum acceptum ab ecclesiis Moscoviae et Romae, in disputationibus sectionis primae locum quam maxime exiguum occupent. Cur in istis repulsibus non simpliciter agnoscamus manum Dei super nos extensam? Forsitan sic nobis significat, se nos liberare velle ab omni praesumptione, ac si possimus aedificare turrim, cuius cacumen ad caelum usque ascendat. Forsan sic nobis significat, quam gracilis fuerit hucusque lux nostra, quippe quae non eo quidem pervenire potuerit, ut illuminaret has regiones, tamen, ut dicitur, et ipsas christianas (angeblich doch auch christlichen Bereiche). Sic faciendo forsan Deus nos liberat a collocutoribus, cum quibus hic ne imperfecto quidem modo communitatem facere potuissemus, quia ipsi (licet ob rationes diversas) viam eam ad Iesum Christum perficere nolunt, sine qua, missa omni re ecclesiastica, christiani diversae originis, invicem non colloqui, sibi invicem praebere aures, ne dicam inter sese convenire possunt. Forsitan Deus nos idcirco ponit in loco quodam valde *bono*, quod nominatim (ausgerechnet) *Roma* et *Moscovia* hac in re uniti esse vi-

dentur, quod a nobis abhorreant (von uns nichts wissen wollen). Quare propono, ut laudes et gratias Deo agamus etiam de hoc eventu, nempe quod ei placuerit consiliis nostris tam evidenter obstare! ».

Haec oratio Barthiana non tantum offensiva fuit, sed etiam prorsus iniusta, nec ex eo excusatur quod orator etiam sociis suis res ingratas dixerit, ceterum verissimas. Offensiva enim sunt verba « has regiones, tamen, *ut dicitur,* et ipsas christianas »; offensiva erant verba « Roma et Moscovia », quia in circumstantiis hodiernis *Moscovia* suggerebat communismum atheum; iniusta erant verba *quod a nobis abhorreant,* ut nimis clare apparet ex *Epistola Pastorali;* iniusta erant, quae dicta fuere *de via ad Christum perficiendum, missa omni re ecclesiastica,* cum orator scire deberet, Ecclesiam Catholicam hac de re ecclesiologiam missam facere non posse, quia firmiter tenet hanc eandem ecclesiologiam ab ipso Christo procedere, sicut et ad Christum conducit. Haec enim summa lex est omnis ecclesiologiae catholicae, ut olim dixit Leo XIII in Encyclica *Satis Cognitum,* nobis non esse inquirendum « quo pacto Ecclesia esse possit, sed qualem eam voluerit Deus, qui eam condidit ». Nec postea paenituit oratorem eorum quae dixerat, sed mox in colloquio quodam extra Congressum habito haec proferre ausus est: « Apud Orientales est nebulositas; Romae nulla est quaestio nebulositatis. Ibi sufficientia sui pro semper terminis iuridicis confixa est. Hoc nil aliud est nisi spiritus apostasiae, antichristi » (*In de Waagschaal* 17 Sept. 1948).

Haec omnia sane sat deploranda sunt; agitur enim de theologo, qui in prima sectione veluti consultor primas partes egit, et cuius auctoritas in Consilio Oecumenico apparet nimis clare ex ipsa redactione *Nuntii* finalis Congressus. Gaudendum tamen, quod plures socii verbis istis, omni ex parte ineptis, tum ob rem contentam, tum ob spiritum, tum ob augustam personam, coram qua prolata fuere, dolorose affecti fuerint: quare sperare licet fore

ut effata tanti Pontificis non maneant vox clamantis in deserto.

7. - *Progressus vel regressus?*

Dicunt Episcopi in sua *Pastorali*: « Nec curae nobis esse nequit, utrum hic Congressus progressum significaturus sit an regressum ». Quare iure merito rogatur, quid in casu sit dicendum. Uti iam antea annotavi, in Congressu magis quam olim apparuit obduratio plurium coetuum in proprio dogmate; magis quam antea quoque manifestata est divergentia omnimoda in puncto centrali, videlicet in ecclesiologia. Et consequentia fuit, ut in *Nuntio* finali practice victoriam reportarit minimalismus ecclesiologiae K. Barth, qui strenue defendit, omnem constitutionem ecclesiasticam, tum episcopalem, consistorialem, presbyteralem-synodalem tum potissimum papalem magis nocivam esse quam utilem libertati verbi Dei respectu congregationis fidelium, et libertati fidelium relate ad verbum Dei. Quare revera periculum adest, quod insinuatur in *Pastorali*, ut multi hoc solo contenti, vid. quod inter se colligentur fide communi in Christum Deum et Salvatorem, quod sufficere putant, ut sibi vindicent titulum populi Dei, acquiescant paulatim unitati cuidam, quae longissime distat ab unitate, qua Christus nos donavit. Quae certo non notant progressum.

Ex altera parte negari nequit divergentias dogmaticas in Congressu plus quam antea manifestatas, oculos direxisse ad Sedem Petri, cui dictum est: *Confirma fratres tuos*, *Luc.* 22, 32; et insuper multiplices istas discordias necessario imponere quaestionem, annon fuerint ipsa principia Protestantismi, — quibus videlicet reicitur magisterium Ecclesiae et eius loco ponitur testimonium internum Spiritus Sancti, — quae fatali necessitate conduxerint ad divisionem doctrinalem in tot ac tantis capitulis. Cui quaestioni cum historia tam clare respondeat, forsan ratio est opinandi, auctis discordiis dogmaticis et conscientia hoc

a Christo esse prorsus alienum, aequo gressu aucturum esse desiderium reditus ad Ecclesiam Matrem.

De Congressu Amstelodamensi dictum est a quodam protestante Helvetico: « Parturiunt montes, sed nascitur ridiculus mus ». Quod certo veritati non correspondet. Ex altera parte ibidem iam conatus fuere demonstrandi Congressum non fuisse effectus nullius: quod clare manifestat haud paucos fratres dissidentes de vero fructu dubitare serio. Unum certum autem est Congressum non cariturum fructu, si id efficiet, ut acatholici, qui Christum Iesum veluti Deum et Redemptorem agnoscunt et in christiano nomine gloriantur, eo perveniant, « ut serio considerare et animadvertere velint, num ipsi viam ab eodem Christo Domino *praescriptam* sectentur, quae ad aeternam perducit salutem ». Cf. Pii IX, *Iam vos omnes*: *C. L.* VII p. 9.

S. Tromp S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

39 - SS. D. N. Pius Pp. XII

A — Litterae Apostolicae *Cum Romanum Pontificem,* 10 ian. 1945, quibus B. Martinus de Porres, Confessor ex Ordine Fratrum Praedicatorum, peculiaris omnium operum iustitiae Rei Publicae Peruvianae patronus caelestis declaratur (*AAS* XL [26 oct. 1948] p. 444-445).

B — Litterae Apostolicae *Ut pretiosissima gemma,* 15 aug. 1946, quibus ecclesia paroecialis Godii, in Arce Mantuanae dioecesis extans, Deo in honorem B. Mariae V., vulgo « Madonna della Salute », dicata, basilicis minoribus accensetur (*AAS* XL [26 oct. 1948] p. 445-448).

C — Litterae Apostolicae *Paroecialis ecclesiae,* 15 aug. 1946, quibus ad dignitatem et honorem basilicae minoris evehitur ecclesia paroecialis, Deo in honorem S. Martini dicata, et in civitate posita cui nomen vulgo « Hal » intra fines archidioecesis Mechliniensis (*AAS* XL [26 oct. 1948] p. 448-451).

D — Litterae Apostolicae *Praefervida tantaque,* 15 aug. 1946, quibus sanctuarium B. Mariae V. « Nostrae Dominae Spei » in Maceriensi civitate, vulgo Mézières dicta, intra Rhemensis archidioecesis fines titulo basilicae minoris ornatur (*AAS* XL [21 nov. 1948] p. 491-492).

E — Litterae Apostolicae *Novissimo universarum,* 1 maii 1947, quibus B. Maria V., Immaculati Cordis titulo, praecipua caelestis patrona Siüceuvensis dioecesis constituitur (*AAS* XL [21 nov. 1948] p. 492-493).

F — Litterae Apostolicae *Solatium in aerumnis,* 15 dec. 1947, quibus basilicae minoris titulo ac privilegiis decoratur ecclesia B. Mariae Virginis Perdolentis « ad tabellas marianas », vulgo « Maria Traferl » intra dioecesis S. Hippolyti fines (*AAS* XL [26 oct. 1948] p. 451-453).

G — Litterae Apostolicae *De historia ecclesiae,* 1 maii 1947, quibus ecclesia collegialis B. Mariae V., vulgo dicta « de San Juan de los Lagos », intra fines archidioecesis Guadalajarensis, honoribus basilicae minoris insignitur (*AAS* XL [21 nov. 1948] p. 494-497).

H — Constitutio Apostolica 31 ian. 1948, qua canonicorum capitulum in ecclesia cathedrali Portus Veteris erigitur (*AAS* XL [26 oct. 1948] p. 436-438).

I — Constitutio Apostolica 6 martii 1948, qua canonicorum capitulum erigitur in cathedrali ecclesia Manizalensi (*AAS* XL [21 nov. 1948] p. 481-483).

K — Constitutio Apostolica 11 martii 1948, qua vicariatus apostolicus de Pontianak dismembratur, et nova erigitur praefectura apostolica de Sintang (*AAS* XL [26 oct. 1948] p. 440-441).

L — Litterae Apostolicae *Hungaricae gentis fides*, 25 martii 1948, quibus honoribus ac privilegiis basilicae minoris decoratur ecclesia graeci ritus, Deo in honorem B. Mariae Virginis Perdolentis in loco « Máriapócs » dicata, intra fines eparchiae Hajdudoroghensis in Hungaria (*AAS* XL [21 nov. 1948] p. 497-500).

M — Constitutio Apostolica 9 apr. 1948, qua praefectura apostolica de Queenstown ad vicariatus apostolici gradum evehitur (*AAS* XL [26 oct. 1948] p. 441-442).

N — Constitutio Apostolica 9 apr. 1948, qua e vicariatibus apostolicis Transvaalensi et Kimberliensi pars distrahitur, quae in novum vicariatum apostolicum « Praetoriensem » nuncupandum erigitur (*AAS* XL [26 oct. 1948] p. 443-444).

O — Constitutio Apostolica 13 maii 1948, qua praefectura apostolica de Lishui in Sinis in dioecesim erigitur sub nomine « Liscioevensis (*AAS* XL [21 nov. 1948] p. 483-485).

P — Constitutio Apostolica 13 maii 1948, qua praefectura apostolica de Makassar in vicariatum apostolicum « Makassarensem » nomine evehitur et erigitur (*AAS* XL [21 nov. 1948] p. 486-487).

Q — Constitutio Apostolica 13 maii 1948, qua ex praefectura apostolica Niameyensi pars meridionalis seiungitur, et nova exinde erigitur praefectura apostolica « Parakuensis » nomine, quae Societati pro Missionibus ad Afros commissa manebit; praefectura vero apostolica Niameyensis, ita territorio imminuta, Congregationi Ss. Redemptoris committitur (*AAS* XL [21 nov. 1948] p. 487-488).

R — Constitutio Apostolica 19 maii 1948, qua monasterium B. Mariae V. de Monteserrato Fluminis Ianuarii in abbatiam « nullius » erigitur seu restituitur (*AAS* XL [21 nov. 1948] p. 489-490).

S — Epistula *Laetamur equidem*, 30 iun. 1948, ad Rev. P. Boccella Ioannem T. O. R. S. Francisci Ministrum generalem, quinto impleto saeculo ab ipsius Ordinis pontificia approbatione

et primi capituli generalis celebratione (*AAS* XL [26 oct. 1948] p. 457.

T — Epistula *Perpetua semper*, 20 iulii 1948, ad Exc. P. D. VACHON ALEXANDRUM, archiepiscopum Octaviensem, eumdemque Catholicae Studiorum Universitatis Octaviensis Magnum cancellarium, primo vertente saeculo ab ipsa Octaviensi Universitate condita (*AAS* XL [26 oct. 1948] p. 458-459).

U — Epistula *Periucundo excepimus animo*, 23 iul. 1498, ad Exc. P. D. BÉLJVEAU ARTHURUM, archiepiscopum Sancti Bonifacii, primo expleto saeculo ab ipsa dioecesi condita, consecrationem cathedralis peracturum (*AAS* XL [26 oct. 1948] p. 459-460).

V — Epistula *Quotiescumque oculis*, 25 iul. 1948, ad Em. P. D. HENRICUM tit. S. Petri in Monte Aureo S. R. E. Presbyterum Cardinalem PLA Y DENIEL, archiepiscopum Toletanum, quem legatum mittit ad sanctuarium Compostellanum S. Iacobi (*AAS* XL [26 oct. 1948] p. 461-462).

AA — Epistula *Triennio quidem ante*, 30 iul. 1948, ad Em. P. D. ELIAM tit. S. Marci S. R. E. Presbyterum Cardinalem DALLA COSTA, archiepiscopum Florentinum, quina episcopatus lustra feliciter impleturum (*AAS* XL [27 sept. 1948] p. 403).

BB — Epistula *Prima sacerdotii gaudia*, 30 iul. 1948, ad Exc. P. D. IOSEPHUM MIGONE, archiepiscopum tit. Nicomediensem, Summi Pontificis Eleemosynarium Secretum, quinquagesimum ab inito sacerdotio annum fauste celebratum (*AAS* XL [27 sept. 1948] p. 404).

CC — Litterae Apostolicae *Providentissimus Deus*, quibus S. Iosephus Calasanctius caelestis patronus constituitur omnium scholarum popularium christianarum ubique existentium (*AAS* XL [26 oct. 1948] p. 454-456).

DD — Nuntius radiophonicus die 28 augusti 1948 a Summo Pontifice datus christifidelibus ad sanctuarium Compostellanum S. Iacobi coadunatis (*AAS* XL [27 sept. 1948] p. 414-417).

EE — Nuntius radiophonicus die 5 septembris 1948 christifidelibus ob Conventum LXXII catholicorum e Germania Moguntiae coadunatis (*AAS* XL [27 sept. 1948] p. 417-420).

FF — Epistula *Christi regno*, 8 sept. 1948, ad Em. P. D. ANTONIUM, tit. S. Laurentii in Panisperna S. R. E. Presbyterum Cardinalem CAGGIANO, episcopum Rosariensem, quem legatum mittit ad Conventum catholice educationis e cunctis Americae nationibus Paxiae indictum (*AAS* XL [26 oct. 1948] p. 463).

GG — Epistula *Quod sodales Consociationis*, 19 sept. 1948, ad Rev. P. IOANNEM B. JANSSENS, Societatis Iesu praepositum

generalem, eumdemque Consociationis ab « Apostolatu orationis » moderatorem supremum (*AAS* XL [21 nov. 1948] p. 500-503).

HH — Allocutio habita die 29 sept. 1948, ad Exc. Virum D'ORMESSON VLADIMIRUM, Galliae Oratorem extra ordinem liberis cum mandatis, litteras pubblicas Summo Pontifici porrigentem (*AAS* XL [26 oct. 1948] p. 464).

II — Nuntius radiophonicus die 6 oct. 1948 missus ad christifideles ob Conventum catholicae educationis provehendae e cunctis Americae nationibus Paxiae coadunatos (*AAS* XL [26 oct. 1948] p. 465-468).

KK — Nuntius radiophonicus die 31 oct. 1948 a Summo Pontifice christifidelibus datus ob quintum Congressum eucharisticum nationalem e tota Brasilia in urbe Portalegrensi coadunatis (*AAS* XL [21 nov. 1948] p. 503-507).

40 - S. C. de Propaganda Fide

Decretum 17 iun. 1948, quo territorium insulae Wake vicariatui apostolico Guamensi adnectitur (*AAS* XL [26 oct. 1948] p. 470).

41 - S. C. Rituum

Causae beatificationis et canonizationis:

Constantien. et Abrincen. Decretum 1 febr. 1948, Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis servae Dei MARTHAE LE BOUTEILLER ex Instituto Scholarum Christianarum a Misericordia (*AAS* XL [26 oct. 1948] p. 471-473).

Sinarum seu Vicariatus apostolici Sien-Hsien. Decretum 28 maii 1948, Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis seu declarationis martyrii servorum Dei LEONIS IGNATII MANGIN et PAULI DENN sacerdotum Societatis Iesu, PETRI TCHOU viri laici, ANNOE WANG virginis saecularis, et sociorum sacerdotum atque christifidelium in odium fidei, uti fertur, interfectorum (*AAS* XL [26 oct. 1948] p. 473-475).

Provisiones Ecclesiarum

Decretis S. Congregationis Consistorialis praefecti sunt:

8 iul. 1948, cathedrali ecclesiae Ruthenensi R. D. Marcellus Dubois.

19 aug. 1948, cathedrali ecclesiae Barranquillensi R. D. Iesus Antonius Castro.

27 aug. 1948, metropolitanae ecclesiae Friburgensi R. D. Vendelinus Rauch.

30 aug. 1948, cathedrali ecclesiae Amazonensi R. D. Albertus Gaudentius Ramos.

30 aug. 1948, cathedrali ecclesiae Oeirensi, noviter erectae, R. D. Expeditus Lopes.

31 aug. 1948, cathedrali ecclesiae Sancti Claudii R. D. Claudius Flusin.

4 sept. 1948, cathedrali ecclesiae de Bonfim R. D. Iosephus Alves de Trinidade.

14 sept. 1948, cathedralibus ecclesiis Savonensi et Naulensi, invicem perpetuo unitis, R. D. Ioannes B. Parodi.

16 sept. 1948, cathedrali ecclesiae Neritonensi R. D. Franciscus Minerva.

20 sept. 1948, metropolitanae ecclesiae Platensi Exc. P. D. Thomas Solari, hactenus episcopus titularis Aulonensis.

29 sept. 1948, cathedrali ecclesiae Montisclarensi R. D. Antonius Moraes Almeida.

9 oct. 1948, metropolitanae ecclesiae Compostellanae Exc. P. D. Carmelus Ballester y Nieto, hactenus episcopus Victoriensis.

11 oct. 1948, metropolitanae ecclesiae Rothomagensi Exc. P. D. Iosephus Maria Martin, hactenus episcopus Aniciensis.

Item constituti sunt:

18 aug. 1948, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Eduardi Gabrielis Mesguen, episcopi Pictaviensis, R. D. Henricus Vion.

7 aug. 1948, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Arthuri Doubleday, episcopi Brentwoodensis, R. P. D. Andreas Beck, e Pia Societate Presbyterorum ab Assumptione.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

LUDOVICUS BENDER O. P., *Ius publicum ecclesiasticum,* Bussum in Hollandia (P. Brand), 1948, 15,5×23,5 cm., 232 pag.

Principia generalia et fundamentalia. — Ius publicum ecclesiasticum internum: de multiplici potestate in Ecclesia; de ambitu et obiecto potestatis ecclesiasticae; de subiecto potestatis ecclesiasticae. — Ius publicum externum: relationes inter Ecclesiam et Statum; de concordatis. — Brevis synopsis operum quae de iure publico ecclesiastico agunt.

AUG. CROEGAERT, *Les rites et prières du saint Sacrifice de la Messe.* Plans pour sermons et leçons. I. *La messe des catéchumènes,* 2a edit., Mechliniae (Dessain), s. a., 15×20,5 cm., XXXIX-607 pag.

Introduction. — Aperçus préliminaires (autel, croix de l'autel, préparation du prêtre, cloches, cierges, ornements sacrés, etc.). — Première partie: la messe des catéchumènes (l'introit, le signe de la croix inaugural, les prières au bas de l'autel, etc.).

MARIO RIGHETTI, *Manuale di Storia liturgica,* vol. III. *L'Eucarestia: Sacrificio e Sacramento,* Mediolani (Ancora), 1946, 16 × 24,5 cm., XIX-568 pag.

I. Le origini della messa: la cena dominica; le origini dell'eucarestia e la critica independente; la messa primitiva. — II. La messa romana: generalità; la messa didattica; la messa sacrificale (l'offertorio; il canone romano; la storia del canone romano; la comunione). — III. L'eucarestia sacramento: la comunione ed il culto al ss. sacramento « extra missam ». — Excursus: la messa Ambrosiana.

LUCIEN ROY S. I., *Lumière et Sagesse. La grâce mystique dans la théologie de saint Thomas d'Aquin* (Studia Collegii Maximi Immaculatae Conceptionis, VI), Monsrealis (Canada), 1948, 16×24,5 cm., 299 pag.

Introduction. — I. La contemplation: la contemplation dans la *Secunda Secundae;* connaissance contemplative; contemplation amoureuse; contemplation et vie mystique. — II. Les dons du Saint-Esprit: les dons du Saint-Esprit dans la tradition patristique; nature des dons; l'organisation des dons; deux modes des dons. — III. L'illumination mystique: lumière de la grâce; sagesse; cycle de la sagesse; « lumen sapientiae »; grâces mystiques et grâces gratuites. — Conclusion.

Acta Academiae Velehradensis, Annus XIX, fasc. 3-4. *Miscellanea in honorem Francisci uav. Grivec,* Olomucii, 1948, 15×22,5 cm., pag. 165-349.

II - Ex periodicis

BOLETIM DE ACÇAON CATOLICA PORTUGUESA, Anno XV (1948), dec. — † MANUEL, Bispo de Helenópole, *Falência ou vitória*? p. 156-162.

COLLECTANEA MECHLINIENSIA, XXXIII (1948), fasc. VI (nov.). — R. AUBERT, *Quelques études récentes sur la place du laïcat dans l'Eglise,* p. 661-691. — XXXIV (1949), fasc. 1 (ian.) — † J. E. card. VAN ROEY, *L'Eglise en face du conflit scolaire actuel,* p. 5-13.

COMMENTARIUM PRO RELIGIOSIS ET MISSIONARIIS t. XXVII (1948), fasc. I-III (ian.-iun.). — H. PUJOLRAS CMF et A GUTIERREZ CMF, *Annotationes in plura Acta et Documenta S. Sedis,* p. 1-47.

NEDERLANDSE KATHOLIEKE STEMMEN, XLIV (1948), fasc. 12 (dec.). — H. BOELAARS C. ss. R., *Cristelijk beroepsleven,* p. 325-336.

PAROISSE ET LITURGIE, Anno 31° (1949), n°. 1 (ian. febr.). — D. A. V., *Le réforme du calendrier,* p. 30-34.

RAZON Y FE, Anno 48 (1948), t. 138 (iul.-dec.). — *Centenario de Suarez* 1548-1948 (El hombre; el ambiente; el influjo; estudios especiales; bibliografía). — Fasc. 5 (nov.). — E. GUERRERO S. I., *El problema de la libertad religiosa. A propósito de las « Conversaciones » de San Sebastián,* p. 518-539. — Anno 49 (1949), t. 139, fasc. 1 (ian.). — F. DE P. SOLÁ S. I., *La Encíclica « Mediator Dei »sobre la sagrada Liturgia,* p. 11-26.

REVISTA ECLESIASTICA BRASILEIRA, vol. 8 (1948), fasc. 1 (mart.). — FR. OLGIATI, *O Breviário na vida sacerdotal*, p. 57-70. — Fasc. 2 (iun.). — RAMÓN ORTIZ, *A Ação católica no Direito eclesiástico*, p. 241-259. — J. M. SIMON O. M. I., *A proposito da « Nova Teologia »*, p. 289-303. — Fasc. 3 (sept.). — A. THIRY S. I., *A enciclica « Mediator Dei » sobre a liturgia*, p. 525-552. — RAMÓN ORTIZ, *A Açao catolica no Direito eclesiástico* (Contin.), p. 552-589.

REVUE DIOCÉSAINE DE NAMUR, t. III (1948, nº. 5-6 (sept.-nov.). — E. RANWEZ, *De l'emploi des stupéfiants*, p. 279-287.

RIVISTA DEL CLERO ITALIANO, Anno XXIX (1948), fasc. 12 (dec.). — CIVIS, *La moralizzazione della strada*, p. 481-488. — Anno XXX (1949), fasc. 2 (febr.). — B. MONAI, *La Peregrinatio Mariae in rapporto al clero*, p. 45-55. — D. BONDIOLI, *Tra il naturalismo e il soprannaturalismo, l'umanismo-cristiano*, p. 59-62.

SAL TERRAE, vol. XXXVI (1948), num. 11 (nov.). — F. LODOS S. I., *El matrimonio por procurador*, p. 667-675.

SEMINARIO DE MEDELLIN, 1948, num. 7 (iul. sept.) — J. RODRIGUEZ, *Cooperación del clero en la estadística*, p. 218-225.

INDEX SCRIPTORUM HUIUS TOMI

INDEX DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM

INDEX MONUMENTORUM

INDEX ALPHABETICUS RERUM